

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes
aliquot**

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regularum Philosophicarum Disputatio XIX. continens Regulas XVIII.
pertinentes ad doctrinam. Oppositorum

urn:nbn:de:bsz:31-102400

gione reali, ideò & modalis distinctio realis est. Aliàs dicitur, distinctionem realem sumi dupliciter: 1. *Latè*, & sic dicitur omnis ea distinctio, quæ aliqua citra mentis operationem distinguuntur, & comprehendit modalem. 2. *Strictè*, ut opponitur modali, & est ea, quæ est inter rem & rem. Posset igitur dici, distinctionem realem in Regula nostrâ latè sumi, ut modalem comprehendit. Vide Soarium *disp. Metaph. XIX. §. II.*

Regularum Philosophicarum

DISPUTATIO XIX.

continens

REGULAS XVIII.

pertinentes ad doctrinam.

OPPOSITORUM.

REGULA I.

Opposita non possunt dici de eodem.

I.

CUm audis vocem *opposita*, hoc ipso monearis, ne pro oppositis habeas, quæ reverrà opposita non sunt: facilis enim hæc in parte deceptio est, hoc est, facilè pro oppositis accipiuntur, quæ opposita non sunt, cum vox est æquivoca. Ita e. c. cū Christus Phariseos vocat *cæcos*, qui tamen videbant, noli existimare, opposita de eodem dici. Nam vox *cæcus* ibi non significat illum, qui destituitur facultate videndi, quæ per oculos exercitur, sed traducta est ad animã

& s.

& significat eum, qui in claro doctrinæ lumine impingit. Sicutem *cæcus* & *videns*, ut videtur propriè sumitur, non opponuntur.

II. Caterùm, cùm dupliciter aliquid de alio quo prædicari possit, *simpliciter* & *secundum quid*, seu *cum adjectione alienante aut diminvente*, (quod de re vide Aristotèlem in *fin. II. Top.* & ea, quæ supra *Disp. X. Reg. III. §. VIII.* diximus, & *Fonsæcam Lib. VII. Instit. cap. XIX. & Lib. IX. c. XI. & Philip. Du Trieu Tr. IV. Manud. P. II. c. II. n. II.*) dico I. Regulam loqui de prædicatione simpliciter. Nam non possunt opposita de eodem prædicari *simpliciter*, possunt tamen cum adjectione alienante aut diminvente: aquam enim tepidam rectè dico ex parte calidâ esse, ex parte frigidam, & crepusculum, ex parte diem, ex parte noctem. At absolutè aqua tepida non est calida aut frigida, nec crepusculum absolutè est dies aut nox.

II. Regula intelligenda est de eodem tempore: diverso enim tempore opposita de eodem dici possunt, sicut eadem aqua modo calida est, modo frigida, at non eodè tempore III. Intelligenda est de eodem respectu: nam idem potest dici pater & filius, quæ relativè opposita sunt, sed respectu diverso: potest enim aliquis esse pater hujus, & filius illius; sicut *Aneas* fuit pater *Julii*, & filius *Anchisæ*; sed ejusdè aliquis pater & filius esse non potest, sicut impossibile est, *Aneam* esse patrem *Anchisæ*, cum filius fuerit IV. De eodem subiecto singulari. De eodem genere vel specie duo opposita præ-

prædic
vera et
ligatur
At de
quod
III.
frigid
affirm
tentia
lens r
quod
ter he
non e
qua,
sequi
de e
dem
IV
dam
ratio
re pri
& est
dem
ximu
one,
dica
sas p
ente
tè qu
dicit
mina

prædicari possunt; utraque enim propositio hæc
vera est: *Aqua est calida, aqua est frigida*, si intel-
ligatur de diversis aquis, quæ idem specie sunt.
At de aquâ eâdem numero affirmari non possunt,
quod scilicet sit frigida & calida simul.

III. Dicitur: Illa aqua, quæ calida est, est simul
frigida potentiâ. E. duo opposita simul possunt
affirmari de eâdem re singulari. Resp. Vox po-
tentia est adjectio alienans, h. e. destruens sive tol-
lens rationem ejus, cui additur. Unde sicut id,
quod est potentiâ homo, non est verè & simplici-
ter homo, ita illud, quod est potentiâ calidum,
non est calidum. Hinc ergo ex eo, quod illa a-
qua, quæ calida est, dicitur simul frigida potentiâ,
sequitur tantum, quod opposita possint dici simul
de eodem cum appositione alienante, quod qui-
dem jam ante concessum est.

IV. Additur, plerumque Regulam accipien-
dam esse de eodem secundum eandem partem, cum
ratione diversarum partium opposita de eâdem
re prædicari simul possint: sicut *Æthiops est niger*,
& est simul albus, secundum dentes. Rectè hoc qui-
dem, sed & ista ratio continetur in §. II. Di-
ximus enim, Regulam non loqui de prædicatio-
ne, quæ sunt additio diminuenta. At cum præ-
dicantur duo opposita de eodè secundum diver-
sas partes, alterum saltem cum additione diminu-
ente & non absolute prædicatur: sicut absolu-
tè quidè *Æthiops niger* dicitur, sed absolute non
dicitur albus, verum secundum dentes, quæ deter-
minatio est diminuens. Fff 5 V

V. Atque hæc quidem de affirmatione oppositorum de eodem diximus, quod scilicet non possint de eodem affirmari simul, & sic si unum illorum de aliquo affirmatum fuerit, quod alterum de eodem sit negandum. Sed quæritur ulterius de negatione: *An negatio uno oppositorum de aliquo, alterum de eodem sit affirmandum?* De contradictoriè oppositis universaliter ita statuumdum est: *De quo unum ex contradictoriè oppositis negatur, de eo alterum est affirmandum.* Sed hæc de re infra in explicatione Regulæ: *Inter contradictoria non datur medium.* Aliorum generum oppositionis alia est ratio, & distinguendum inter subjectum *capax* seu susceptivum, & *incapax*. Circa subjectum incapax pono hanc propositionem: *De subjecto incapaci omnia opposita sunt neganda.* Vel: *De quo negatur unum oppositorum, de eo & alterum negatur, si sit subjectum incapax,* id quod patet ex terminis. Hoc ipso enim, quod subjectum aliquod neutrius oppositorum capax est, neutrum de eo potest affirmari.

VI. Duplex autem est subjectum capax contrariorum seu oppositorum: quoddam est capax *utrinque*: sicut animal & morbi & sanitatis capax est; quoddam tantum *alterius*, quod fit in contrariis, quorum unum inest subjecto per naturam, sicut ignis capax est caloris, non frigoris. Unde & incapax duplex est, quoddam est incapax *utrinque*, ut Diabolus nec calori nec frigori est

est ob
frigori
que: n
de eo u

VII
vè opp
nec ad
rius, v
est Do
vas eju
est ser

IX
ciand
negati
subje
conseq
celle
tentiã
& san
media
nem, v
tia.

E. est
non f
est el

IX
lii. A
jecto
curã
est

est obnoxius; quoddam tantum alterius, ut ignis frigoris. Locutus sum de subiecto incapaci utriusque: nam si alterius tantum sit incapax, non est de eo utrumque negandum.

VII. De subiecto capaci, quantum ad relativè opposita, etiam à negatione unius de aliquo, nec ad affirmationem, nec ad negationem alterius, valet consequentia: sicut non valet: *Hic non est Dominus illius. E. est servus eius*: licet & servus eius esse possit, & Dominus. Nec valet: *Non est servus eius. E. nec Dominus eius est.*

VIII. Contraria quod attinet, aliter pronuntiandum est de mediatis, aliter de immediatis. A negatione unius contrariorum immediatorum de subiecto capaci, ad affirmationem alterius valet consequentia: ut si aliquis homo non est æger, necesse est, eum esse sanum, quandoquidem ex sententiâ Philosophi non datur medium inter agrum & sanum esse. At, à negatione unius contrariorum mediatorum de subiecto capaci, nec ad affirmationem, nec ad negationem alterius valet consequentia. Ita non sequitur: *Hic paries non est albus. E. est niger*, quia potest esse ruber vel flavus. Et non sequitur: *Non est albus. E. nec niger*, quia potest esse niger.

IX. De privativè oppositis ita pronunciant alii: A negatione unius privativè oppositorum de subiecto capaci, ad affirmationem alterius tempore determinatâ determinato, valet consequentia: sicut sequi-

tur: *Hic homo non est cæcus. E. est videns.* Dicitur, tempore à natura determinato, h. e. eo tempore, quò subjectum per naturam est capax habitus, propterea, quod extra tale tempus consequentia non valet, ita non valet, si de infante recens natò ita colligas: *non habet dentes. E. est edentulus,* quia ipsi eò tempore per naturã dentes non debentur.

X. Verùm licet ut plurimum ita sese habere concedam, non tamen puto esse perpetuum. Exillimo enim, & quædam privativè oppositorum esse, quæ habent medium, quod ex extremis quasi compositum sit, qualia quidem sunt ea, quæ magis & minus recipiunt, ut *luminosum & tenebrosum,* (dicitur enim aliquid magis vel minus luminosum & tenebrosum) inter quæ in crepusculò datur medium ex lumine & tenebris quasi compositum, atque adeò aër tunc nec luminosus est, nec tenebrosus, sed ex parte luminosus, ex parte tenebrosus. Unde non valet: *Aër non est luminosus. E. est tenebrosus.*

REGULA II.

Contraria non possunt esse simul in eòdem subjectò. Aristoteles *Categ.*

Cap. XI.

I. Non planè idem dicit hæc Regula, quod præcedens, (i.) quia illa loquebatur de prædicatione contrariorum, hæc verò loquitur de inesse eorundem. At non est idem iudicium de prædicatione.

atione & de inesse, siquidem fieri potest, ut aliquid de aliquo non prædicetur, & tamen ipsi insit: sicut constat ex *Disput. X. hujus Partis Reg. III. (II.)* Quia Autores, quibus de præcedenti Regulâ nulla est controversia, circa præsentem, dissentiant, sicut ex mox dicendis perspicietur.

II. *Quod* autem Regula de eodem tempore sit intelligenda, expressè significatur per vocem *simul*. Intelligenda etiam est de eodem subjecto secundum eandem partem, & utrumque liquidum est ex *Reg. præced.*

III. Gregorius I. *dist. XVII. quest. III. a II.* Soncinas X. *Metaph. q. ult.* statuunt, ne in gradibus remissis quidem contraria in eodem subjecto esse posse. Sed Capreolus I. *dist. XVII. q. II.* Javellus X. *Met. q. XIII.* ex instituto contra illos disputant, asserentes, in gradibus remissis in eodem subjecto esse posse. Eademque est plerorumque aliorum sententia.

IV. Hanc controversiam ut intelligas, præmitto: quamlibet formam, quæ intensionis & remissionis est capax, habere aliquem suæ perfectionis terminum, ultra quem non possit intendi, eamque si habeat, esse summam & perfectissimam. Statuatur ergò, calorem summum continere octo gradus: illi gradus, qui sunt ultra medietatem, nempe quintus, sextus, septimus & octavus, appellantur intensi & excellentes; illos verò, infra quintum qui sunt, primum scilicet, secundum, tertium & quartum, voco remissos.

Ggg

V.

V. Nunc facio duas conclusiones: I. *Contraria non possunt esse in eodem subjecto in gradibus intensis atque excellentibus.* Ista conclusio, quantum scio, non est controversa. Patet autem ejus veritas ex Regulâ præcedenti. Nam quilibet forma intensa denominat absolute subjectum, in quò est: sicut ab excellenti seu intenso calore aqua dicitur calida, & ab eccellente frigore, dicitur frigida. Si ergò duo contraria intensiva essent in eodem subjecto, denominarent illud absolute, h. e. contraria absolute affirmarentur de eodem: ut si in unâ aquâ essent simul calor quinque vel sex graduum, & frigus quinque vel septem graduum, illa aqua esset simul calida & frigida, absolute dicenda.

VI. Quod autem dixi, *istam conclusionem non esse controversam*, intelligendum est de potentia naturæ. *Pernaturam contraria in gradibus excellentibus non possunt esse in eodem subjecto.* Sed quid per potentiam Dei absolutam hæc in parte fieri possit, discrepat inter Autores.

VII. Aristoteles *IV. Metaph. Cap. VI. t. 27.* eò probat, contraria non posse simul eidem inesse, (in gradibus excellentibus scilicet, & ita, ut ambobus de eodem prædicentur simpliciter) quod fieri nequeat, *ut contradictoria simul de eodem affirmantur.* Statuit ergò Aristoteles, unum contrariorum inferre negationem alterius, indeque duo contraria de eodem affirmantur, fore, ut con-

tradit
dic TH
dictio
inclu
quod
mun
III
II. di
excell
eand
esse p
clude
orum
bit Su
riorum
frion
tè, q
possib
litate
stru
taut
octo.
spua
renti
duo
tame
duo
contr
Vide

I. *Contra in gradibus* lufio, quantum autem. Nam quae absolute subiecto intensio frigida intentione illud abarentur de calor quing. vel septem. & frigida.

traditoria simul de eodē afficientur. Cui accedit Thomas, qui II. *contra gentes c. XXV. contradictio*, inquit, *in contrariis & privatis ē oppositis includitur. Sequitur enim: si est album & nigrum, quod sit album & non album.* Eademq; est communis aliorum sententia.

II. At Petrus de Palude III. *dist. XV. quæst. II.* disputat & asserit, etiam contraria in gradibus excellentibus eidem subiecto simul & secundum eandem partem per potentiam Dei absolutam inesse posse, cum existimet, contrarietatem non includere contradictionem, neque unum contrariorum inferre negationem alterius. Pro quō scribit Suarez *disp. Met. XLV. s. IV. n. 16. unum contrariorum non habet immediatam & formalem oppositionem negativam cum alio, sed eam fert mediate, quantum effectus unius est naturaliter incompatibilis cum effectu alterius, quam incompatibilitatem potest Deus impedire, & simul conjungere utrumque effectum positivum in eodem subiecto, ita ut in re sit simul calidum ut octo, & frigidum ut octo.* Vide eundem Suarez *Part. III. Tom. I. disputat. XXXVIII. s. III.* Et confirmant hanc sententiam ex eo, quod licet naturaliter repugnet, duo corpora esse in eodem loco; per potentiam tamen absolutam illa repugnantia possit tolli, & duo corpora in eodem loco simul constitui. Sed contra hanc sententiam disputat Capreolus *l. c.* Vide & Gregorium *l. c.*

IX. II. Conclusio: Contraria possunt esse in eodem subiecto in gradibus remissis. Hoc vult ista conclusio, calorem v.g. in quarto & frigus in quarto gradu posse esse in eodem subiecto (quod fit in aquâ, quando est accuratè tepida) imò sufficit, si una qualitas remissa sit infra quartum gradum, cum eâ enim potest contraria intensa simul consistere; sicut id, quod est calidum, non tamen summè, habet v.g. sex gradus caloris, & duos frigoris, vel septem caloris, & unum frigoris. Sciendum enim, tot gradus unius contrarii in subiecto aliquo esse, quot alteri desunt ad summam perfectionem; ut si calor octo graduum est in igne, nihil frigoris ibi est, quia nullus gradus deest illi calori ad summam perfectionem; si verò in aliquo est calor septem graduum, unus in eò gradus frigoris erit.

X. Non dubitamus autem pro istâ conclusione adducere ipsum Aristotelem. Is enim *V. Phys. t. 19. magis & minus esse*, inquit, *est contrarii plus aut minus inesse. & non inesse.* Et *t. 45. Quod autem minus est, ob mixtionem contrarii semper est.* Et probatur per experientiam, quæ tam clara & evidens esse videtur, ut eam sine insolubili ratione negare, Philosophi non sit. Cum enim aqua calefit ab igne, certum est, aquam in se recipere calorem, & tamen non statim amittit totam frigiditatem. Est igitur ibi simul aliquid frigoris & aliquid caloris. Vide Franciscum Suarez *disputat. XLV. Sect. IV. n. 11.* XI.

XI. Dicis: *Contrarietas est repugnantia, quâ aliqua non possunt esse in eodem subjecto. At gradus remissi contrariorum sunt contraria. E. non possunt esse in eodem subjecto simul. Minor probatur, quia contrarietas est repugnantia secundum essentiam. E. que obtinent essentiam contrariorum sunt contraria. At gradus remissi contrariorum obtinent essentiam contrariorum, sicut frigus remissum, est essentialiter frigus, & calor remissus essentialiter calor. II. Si contraria remissa sunt in eodem subjecto, subjectum inde denominabitur, h.e. duo contraria dicentur de eodem, quia quilibet forma suum subjectum denominat.*

XII. Ad I. Resp. Negando minorem: Gradus enim remissi non sunt contrarii. Est quidem contrarietas repugnantia secundum essentiam, verum non simpliciter, sed in tali gradu. Unde nos invertimus argumentum: *Gradus remissi contrariorum possunt esse in eodem subjecto simul. E. non sunt contrarii. Antecedens verum est ab experientia, & quia omnia argumenta adversariorum solvi possunt.*

XIII. In II. negatur consequentia. Neque verum est, *quamlibet formam denominare simpliciter subjectum, in quo est, sicut dictum fuit §. I. Argumenta Gregorii & Soncinatis brevitatis causâ omittimus. Videantur eorum solutiones apud Capreolum, Javellum, Soarium II. c. it. & Masium in post. prad. quest. V.*

Eadem est contrariorum materia.

I. Contraria, quæ plurimum differunt, sunt in eodem subiecto: eadem enim est contrariorum materia. Aristoteles X. Met. c. VI. t. 14. Per materiam intelligitur materia in quâ, seu subiectum: quod enim posterioribus verbis appellatur materiam, prioribus appellaverat susceptivum. At susceptivum alicujus est materia in quâ. Huc pertinet, quod IX. Met. c. V. t. 19. scribit: Ὅμοιόν κατὰ τὸ διῶμα δὲ λέγεται, πάντιν δὲ διωμάτων παντῶν, οἷον τὸ διῶμα δὲ λέγειν ἰσχυρὸν ὑγιαίνειν, πάντων δὲ καὶ τὸ νοσῆν καὶ ἀμα. *Id est, quæ in potentiâ dicuntur, idem contraria potest, quemadmodum id, quod sanum esse posse dicitur, idem est, atque id, quod aegrotare potest, idque simul.*

II. Videtur autem ista Regula contradicere præcedenti. Si enim idem est subiectum contrariorum, sequitur, contraria esse in eodem subiecto. At certè non contradicit, quia præcedens loquebatur de actu & eodem tempore, nimirum: *contraria non sunt actu in eodem subiecto simul sive eodem tempore.* Sed præsens Regula loquitur de potentiâ inessendi successivè, sive diverso tempore. Estque ejus sensus: *Id quod est subiectum unius contrariorum, esse & subiectum alterius, ita tamen ut illi non nisi successivè inesse possint.*

III.

III. Sed contra est, quod Aristoteles in verbis sub finem. 6. I. citatis dicit, id, quod sanum esse posse dicitur, idem esse atque id, quod egrotare potest, idque simul.

IV. Aliud est, aliquid posse recipere contraria simul atque eodem tempore, inesse vel competere subjecto; aliud, contraria posse recipere, inesse vel competere subjecto. Ita Aristoteles expressè in c. 19. L. IX. Met. τὸ πρὸς ἑνὶ δυνάμει τῶν ἐναντίων ἀναγκαῖον ἐστὶν ἕνα τὸ ἐναντία ἀνα ἀδύνατον ἕνα ἀναγκαῖον. Possè igitur contraria simul inesse, ipsa vero contraria simul inesse, impossibile est.

V. Argumentor verò ita:

Quæ transmutantur invicem, illa requirunt idem subjectum: quemadmodum demonstravit Philosophus I. Physic.

Sed contraria transmutantur invicem; fit enim ex calido frigidum, & vicissim ex frigido calidum; & sic in reliquis.

E. contraria requirunt subjectum idem.

VI. Loquimur autem de contrariis *quantum ad id, quod habent ex suâ natura*. Per suam naturam contraria apta sunt esse in eodem subjecto, fit tamen interdum, ut, quod est subjectum unius contrariorum, non possit esse subjectum alterius, hoc tamen non fit propter naturam contrariorum, quasi illa non sint apta esse in eodem subjecto, sed ipsum subjectum est in causâ, quatenus formæ ejus ita familiaris & necessaria est aliqua

qualitas, ut cum contrariâ qualitate non possit consistere. Ita calor est in igne, quia tamen non potest esse subjectum frigoris, quia calor ipsi inest per naturam, neque forma ignis cum frigore potest consistere. Ita Iavellus *X. Met. q. XIII.* Ut compendio dicam, dico: *Contrariorum esse idem subjectum nisi alterum ipsi inest per naturam.* Et de hoc (nimirum, quod est in subjecto per naturam) etiam minor syllogismi §. V. propositi vera non est. Ex igne enim calido non sit ignis frigidus, propterea scilicet, quod calor inest igni per naturam, ita ut sine eo esse non possit.

REGULA IV.

Non necesse est, unum contrariorum si sit, & reliquum esse. Aristoteles *Categor. Cap. XI.*

Relativè oppositum a est natura, ut si unum est, etiam alterum esse necesse sit: ut si pater sit, non potest non esse filius. At alia est contrariorum conditio; eorum enim unum in rerum natura esse potest sine altero, neque ex eo, quod unum est, inferre licet, & alterum esse; sicut non sequitur; *album est in rerum naturâ E. & nigrum.* Nam si Deus omnia nigra destrueret, relictis albis, quod quidem facillè factu ipsi esset, tunc per naturam alba subsisterent in rerum natura, nullo existente nigro. Locum etiam habet hoc pronunciatum in privativè & contradictoriè oppo-

oppositis, cum non necesse sit aliquod cœcum esse, existente eô, quod videt; & ante creationem mundi Deus erat, sed nihil erat, quod esset non-Deus. Sed quia in hisce extremorum alterum est non ens, ideò de contrariis specialiter Aristoteles ita pronunciauit.

REGULA X.

Si alterum contrariorum est naturâ, etiam alterum esse natura necesse est. II. de. Cœl. c. III. t. 19. I. de generat. & corrupt. text. 65.

Videtur hæc Regula directè adversari præcedenti; sed non adversatur, quia prior loquitur de contrariis quoad propriam eorum naturam; (natura autem cujusque contrarii in se spectata ad sui existentiam non requirit existentiam alterius, sicut Relatum ratione propriæ naturæ ad sui existentiam requirit existentiam alterius) at posterior hæc considerat contraria in ordine ad complementum uniuersi & vicissitudinem generationum & corruptionum. Si enim unum contrariorum esset in rerum naturâ, ut tamen non esset alterum, ipsa rerum natura seu mundus non esset ita perfectus, nec tamen generationum & corruptionum vicissitudo daretur. Videri potest Suarez *disp. Metaph. XLV. s. II. num. 18.* & Zimara *in Theorem. prop.*

35.

Ggg 5

RE-

REGULA VI.

Contraria sub eodem genere maximè distant. X. Metaph. cap. VI.

I. Videtur ob stare locus c. 21. *Categor. §. 6.* ubi Aristoteles: *Neceſſe autem eſt, inquit, omnia contraria, vel in eodem genere, vel in contrariis generibus, vel ipſamet genera eſſe. Album enim & nigrum in eodem genere ſunt, quia color genus eorum eſt. Juſtitia verò & iniuſtitia in contrariis ſunt generibus, illius namque virtus genus eſt, hujus vitium. Bonum verò & malum non in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorum.* Hæc Ariſto- teles. Hinc argumentabitur quis ita: *Quædam contraria ſunt ſub diverſis generibus, quædam non ſunt in genere, ſed ipſa ſunt genera. E. non omnia contraria ſunt ſub eodem genere. E. nec omnia ſub eodem genere maximè diſtant.*

II. Nos pro Regulâ ita argumentamur:

Quæ tranſmutantur in ſe invicem, neceſſariò ſunt ſub eodem genere: neque enim fit tranſitus per ſe ex loco in qualitatem, ſed ad locum; & vice verſâ.

Sed contraria non tranſmutantur in ſe invicem: poteſt enim ex calidò fieri frigidum ex albo nigrum, & vice verſâ.

Ergò contraria neceſſariò ſunt ſub eodem genere.

III. Locus ex Ariſtotele adducto nobis non ad-
ver-

verſat
eſſe in
proxim
quàm
aſſerit
non n
ea, qu
ſub e
genus
Signi
contr
illud
ut jac
contr
diver
dum
tanq
alior

IV
bis v
ſint i
malò
ex ſu
neba
lique
lum,
rios,
nim

versatur. Quod enim dicit: *Quadam contraria esse in eodem genere*, significat, *esse in eodem genere proximo*, sicut album & nigrum sub colore, tanquam genere proximò continentur. Quod verò asserit, *quædam esse in contrariis generibus*, hoc ipso non negat, esse in eodem genere. Possunt enim ea, quæ in contrariis generibus sunt, esse etiam, sub eodem, licet non proximò, sed remotò: sicut genus remotum iustitiæ & iniustitiæ est habitus. Significare igitur his verbis videtur: *Quadam contraria non esse sub eodem genere proximo*. Nec illud ipsum, quod dicit, *quædam esse ipsa genera*, si, ut jacent verba, intelligatur, satis ostendit, *aliqua contraria non esse sub eodem genere*, quia & ea, quæ diversa genera sunt, sub eodem genere esse absurdum non est: sicut virtus & vitium sub habitu, tanquam sub genere continentur, licet ipsa etiam aliorum genera sint.

IV. Quod si quis dicat, Philosophum his verbis velle, *aliqua contraria ita esse genera, ut non sint in genere*, quod quidem exemplum de bonò & malò evincit: respondendum, ipsum loqui non ex suâ, sed Pythagoreorum sententiâ, qui ponebant, duo principia primò diversa, & sic sub aliquò genere non contenta, *bonum* scilicet & *malum*, & sub illis duos ordines rerû inter se contrarios, ut ipse Aristoteles refert. *I. Met.* Consuevit enim Aristoteles, ut habet Thomas *P. I. q. XLIII. a. I.*

præ-

præcipuè in Logicis ponere exempla, quæ probabilia erant sub tempore secundum opinionem aliorum Philosophorum. Hæc responsio est Thomæ *l. c.* eamque sequi videtur Cajetanus, in *comment.*

V. Suarez *disp. Met. XLV. f. II.* eam rejicit, asserens, Philosophum loqui de bono & malo morali, idque exinde perspicitur, quod adhibeat exempli loco virtutem & vitium, idque magis etiam probari à Thomâ *a. cit. ad 3.* At certè ex eo, quod Philosophus utitur exemplis virtutum & vitiorum, non rectè colligitur, ipsum loqui in verbis à nobis citatis de bono & malo morali, siquidem ista exempla non adhibet ad declaranda illa verba, sed ea, *contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est,* &c. quæ quidem multis periodis antecedunt. Sed non sequitur: *Aristoteles loquitur in verbis, que modo allegavimus, de bono & malo morali. E. etiam de eodem loquitur in suis ultimis, quæ §. I. adduximus. & de quibus nobis est controversia.* Neque autoritate Thomæ Suarez legeri potest, quia ille, cum dicit, Philosophum loqui de bono & malo morali, respondet ad argumentum, quod ex verbis illis Philosophi modò citatis: *Contrarium autem bono quidem,* &c. non ex iis, de quibus nos agimus, erat constructum. Liqueat autem ex hæcenus dictis, in argumento §. I. nullam esse consequentiam.

VI. Cæterum quod asserit Aristoteles, *com*

tra

eraria maximè distare, non intelligendum est de distantia ratione loci, sed de ea, quæ naturum & essentiam rerum concernit. Duæ enim albedines, etsi loco sejunctissimæ sint, non distant maximè, ut hîc distantia accipitur, neque dicuntur contrariæ propterea, quod eju- dem sunt essentia. Albedo verò & nigredo sunt contrariæ, & maximè distare dicuntur propter naturæ diversitatem, quæ facit, ut in eodem subjecto in gradibus excellentibus esse nequeant, si vel maximè quantum ad locum sint conjunctæ.

VII. Non etiam debent contraria habere maximam distantiam absolute: major enim est distantia inter contradictoriè opposita, si tamen ea, quæ est inter ens & non ens, distantia appellari meretur. Magis etiam contrarium distare potest ab alia re, quàm à suo contrario, sicut calor magis distat à natura Angelica, quàm à frigore. Convenit enim essentia caloris cum essentia frigoris in conceptu generico; at cum Angelica natura conceptum genericum non habet communem. Est igitur distantia contrariorum restricta, & quidem ad genus. Ita scilicet contraria maximè distant inter se, ut nihilominus in uno genere conveniant. Unde patet, eorum distantiam peti à differentia: cum enim illa contrariorum distantia attendatur secundum eorum essentiam, & verò non sumatur à genere, sequitur eam sumi à differentia.

IIX.

IX. Sed huic sententiæ adversatur, quod rubrum & album non distant maximè in genere colorum, cum magis dissent album & nigrum: rubrum tamen & album sunt contraria. Sic & liberalitas & prodigalitas contraria sunt, nec tamen maximè distant, cum magis dissent avaritia & prodigalitas.

IX. Quidam, inter quos est *De Trien Tr. I. P. III. c. III. a. l.* statuunt, colores extremos intermediis non esse contrarios, sed inter disparatos referunt. Idemque procul dubio dicent, de liberalitate respectu prodigalitatæ & avaritiæ, & de quâlibet virtute respectu extremorum: eadem enim ratio esse videtur. Nec Aristoteles ab hac sententiâ videtur esse alienus: namc. *IX. Categ.* expressè dicit, *rubro aut pallido, aut aliis hujusmodi coloribus, nihil esse contrarium.* Idem tamen *c. XI. Categ. & II. Nicomach. c. IIX. & l. Magn. Moral. cap. IX.* docet, extremum non solum extremo, ut avaritiam prodigalitati, sed & medio, ut avaritiam liberalitati, esse contrarium.

X. Responderi poterit, alterum alteri posse esse contrarium dupliciter: *Ratione sui seu per se primo; 2. secundum aliquid ejus generis quod participat, vel cuius vicem gerit, cumque eo habet convenientiam.* Extremo colori extremus primò, sed extremo intermedius secundo modo est contrarius. & sic albo contrarium est rubrum, quatenus de nigro participat, & cum albo comparatum nigrum est; quæ doctrina omninò est Philosophi

V.

V. Phys. c. I. r. 6. Idem accommodare licet ad moralia, Javellus quidem *X. Met. q. XIV.* & Toletus in *C. IIX. Categ.* docent, extrema, ut prodigalitate & avaritiam, esse contraria medio, ut liberalitati, quantum hoc quidem virtutis, illa, verò vitii rationem participat. Nos dicimus, & est ad mentē Aristotelis loco ex *Ethic. Nicom. & Magn. Moralib9 cit.* etiam in moralib9 mediū contrarium esse extremo, quantum habet rationē alterius extremi. Habitus enim virtutis, qui in mediocritate consistit, comparatus excessui, deficit, defectui verò comparatus, excedit: sicut liberalis ad prodigum avarus, & ad avarum prodigum habetur.

XI. Quod ergò dicitur, *contraria maximè distare*, verum est de iis, *quæ primo modo contraria sunt*. Nam contraria debent sub eodem genere, distare. E. maximè & perfectissimè contraria, qualia quidem ea solum sunt, quæ per se primò sunt talia, maximè & perfectissimè debent distare. Quantum ad antecedens, quod contraria debeant esse sub eodem genere, jam supra probavimus. Quod debeant distare, inde perspicitur, quod oporteat ea specie differre, & unum in alterum, transmutari posse; quod non fieret, nisi distarent. Non autè mirum est, ea, quæ posteriori modo contraria sunt, non distare maximè, quoniam non ita perfectè, ut priora, contraria sunt. Atq; hinc etià patet, cur Aristoteles alibi neget, mediis aliquid

con-

contrarium esse, quia scilicet loquitur de iis, quæ perfectissime & ratione sui sunt contraria.

XII. Eodem ferè recidit, si dicamus, aliqua esse contraria dupliciter, *adequatè & inadquatè*, quæ distinctio est Boarii *l.c. Adequatè contraria* vocatur quæ repugnant secundum totas suas rationes específicas, vel quorum unum pugnat cum propria naturâ alterius per omnia: ut prodigalitas & avaritia; illa enim exsuperat in dandò, & deficit in accipiendò, hæc verò deficit in dandò, & exsuperat in accipiendò, sicut expressè Aristoteles habet *IV. Nicom. cap. I.* Dixi autem, *secundum rationes específicas*, vel *cum natura propria*: quia in naturâ generica omnia contraria conveniunt. *Inadequatè* verò *contraria* sunt, quorum unum pugnat cum propria alterius natura ex parte, ut liberalitas & prodigalitas: liberalitas enim non deficit in dandò (in quo prodigalitas modum excedit) sicut avaritia, cum primarius actus liberalitatis sit dare, sed solum ad mediocritatem redigit id, quod est minimum. Sic etiam *adequatè contraria* sunt album & nigrum; album verò & rubrum, sicut & reliqui intermedii colores, *inadequatè* sunt: quod quidem ex iis, quæ hactenus didicimus, facile intelligi potest. Jam quod dicitur *contraria maximè distare*, verum est de *adequatè contrariis*, non autem de iis, quæ sunt *inadequatè* talia.

XIII. Instas: Calidum ut in sexto gradu, & frigidum

frigidum
ut ex
maxim
dum i
XI
oedo,
quoad
frigid
sexto
XI
de con
sit: on
ria n
hoc r
oppo
quid
vum
cont

I.
VI, t
repe
miru
max
II
men
som

frigidum in sexto sunt adæquatè contraria, cum ut extrema opponantur; & tamen non distant maxime sub eodem genere, quia plus distant calidum in octavo gradu, & frigidum in octavo.

XIV. Resp. Calidum ut octo, & frigidum ut octo, plus distant in ratione graduum. sed non quoad essentiam: æquè enim essentia caloris & frigoris cum sufficienti repugnantia reperitur in sexto gradu, atque in octavo.

XIV. Tandem notandum, Philosophum loqui de contrariis propriè sic dictis. Et ut à reliquis oppositionis generibus distinguuntur, cum dicit, *contraria maxime distare sub eodem genere.* Et certè hoc non competere privativè & contradictoriè oppositis, manifestum est, quia eorum unum est quid positivum, alterum verò negatio; sed positivum & negatio sub uno communi genere non continentur.

REGULA VII.

Unum uni est contrarium.

I. *Perspicuum est, inquit Aristoteles X. Met. c. VI. t. 14. uni plura contraria esse non posse. Quod reperit t. 17. & assignat simul rationem, quia nimirum inter contraria est maxima distantia; at maxima distantia tantum est inter duo.*

II. Etsi autem loquitur de contrariis, idem tamen verè ad reliqua tria oppositionis genera accommodare, & universaliter sic pronunciare li-

H h h

cct.

cet. *Unum uni tantum est oppositum.* Sic duplex tantum dimidio opponitur; cæcus tantum videnti; homo tantum non homini, & vice versâ.

III. Dicis: Videns & cæco opponitur, & non videnti. E. unum opponitur pluribus. Resp. Unum uni tantum opponitur *in eodem oppositionis genere.* In diversis oppositionum generibus unum pluribus opponi potest, uti fit in presenti exemplo. Videns enim opponitur & cæco, & non videnti, sed in diversis oppositionis generibus, quia illi privativè, huic verò contradictoriè opponitur.

IV. Sed instas: Album opponitur non tantum nigro, sed & rubro, flavo, viridi, &c. & quidem in eodem genere oppositionis: omnibus enim illis opponitur ut contrariis.

V. Respondent quidam, album opponi viridi, flavo, rubro &c. non autem ut contrarium contrariis, sed ut disparatum disparatis. At certum est, plura posse inter se opponi, ut disparata sicut non tantum disparata sunt dulcedo & albedo, sed & dulcedo & flavedo. Neque in nostrâ Regulâ disparata comprehendi debent, verum illa certâ ratione contraria dici posse, ostensum est *Reg præced.* Dicimus autem Regulam veram esse de illis, quæ adæquatè opponuntur: inadæquatè enim unum pluribus opponi potest. Et certè ipsa ratio Regulæ, quâ §. I. ex Aristotele adduximus, tantum procedit de adæquatè oppositis. Nam inter inadæquata contraria non est maxima distantia. Ex

ipso

ipso et
qui nisi
ma adæ
Respon
nitor, r
quarè a
nâ ad p
que un
VLS
nulla c
Regulæ
tur mu
Hoc au
(II.) M
unum
fa. N
non ta
ponitu
quod a
IIX. (I
sed & r
VII.
sideran
& rebu
quid, n
2. For
pe ut a
do neg
poni n

ipso etiam textu perspicitur, Aristotelem non lo-
qui nisi tantum de extremis. At tantum extre-
ma adaequatè opponantur. Hinc jam liquet.
Responsio ad Argumentum, quia album oppo-
nitur, rubro, flavo, viridi, &c. inadaequatè, ada-
quatè autem tantum nigro. Atque ex hac doctri-
na ad plura alia similia argumenta, quæ objici
queunt responderi potest.

VI. Sed antequàm ad alia transeamus, alia non-
nulla consideranda & discutienda veniunt, quæ
Regulæ nostræ obstare videntur. (I.) *Unum opponi-
tur multis*, sicut docet Aristoteles. *X. Met. c. V. & IX.*
Hoc autem directè Regulæ nostræ est contrarium.
(II.) *Multis opponuntur unum & paucum*, sed
unum & paucum non sunt idem, sed duo diver-
sa. Nam tres homines v. g. sunt pauci homines,
non tamen sunt unus homo. (III.) *Æquale op-
ponitur magno & parvo, sive majori & minori*,
quod accuratè probat Aristoteles *cir. Lib. X c.*
II. X. (IV.) *Filius non tantum opponitur patri*,
sed & matri.

VII. Ad I. Resp. Unum & multa bifariam con-
siderantur: 1. *Materialiter*, pro re, quæ est una,
& rebus, quæ sunt multæ: sicut albedo est unum
quid, nigredo verò, flavedo & rubedo sunt multa.
2. *Formaliter* & ut loquuntur *in actu signato*, nem-
pe ut attenduntur eorū rationes formales. Quan-
do negatur, per nostram Regulam unum op-
poni multis, sermo est de iis, ut sumuntur priori

modò, & quæritur v. g. an albedo non tantùm opponatur nigredini, sed & rubedini, & aliis intermediis coloribus? albedo enim & rubedo, & alii intermedii colores multi sunt. At quando Aristoteles disputat, unum opponi multis, loquitur de iisdem posteriori modò, & hoc unum opponitur multis; quia ut ratio unius, sic & ratio multitudinis, seu per quam formaliter constituuntur multa, est una, & à rationibus aliorum distincta.

IX. Ad II. Respondet ipse Aristoteles *cit. c. IX.* vocem *multa* bifariam sumi: I. *Comparativè* quatenus significat non quemlibet numerum seu multitudinem, sed excedentem, & sic ipsi opponuntur *pauca*, quæ vox & ipsa significat multitudinem, non quamlibet verò, sed deficientem. Ut si heri fuerint in foro 100, homines, hodiè tantùm 10. dicitur heri multos fuisse, hodiè paucos II. *Absolutè* & sic *multa* dicuntur, quæcunque sunt plura uno, quâ ratione quilibet numerus, etiam binarius, est multa quædam: cum enim duplex sit multiplex, E. & duo sunt multa. Hæc igitur ratione multis non pauca, (cum sub multis comprehendatur) sed unum tantùm opponitur. Et si igitur multis opponuntur unum & pauca, per hoc tamen non fit, ut duo opponantur uni & eidem, propterea quod id, quod æquivocum est, unum non est.

IX. Ad III. Respondet Aristoteles *l. c. Metaphysicæ*

gnum

num & parvum seu majus & minus, opponi equali non ut contraria, sed ut in oppositione privativa, ita nimirum, ut majus & minus sint habitus, cum illud dicatur id, quod excedit, hoc verò id, quod exceditur. At æquale, inquit, est, quod nec magnum, nec parvum est, aptum autem naturâ est, ut sit magnum & parvum. Quâ responsione omnino Aristoteles significare videtur, id, quod docuit, unum uni tantum contrarium esse, se velle tantum de contrariis intellectum, nec necesse esse, ut univèrsim de aliis oppositionum generibus verum sit.

X. Existimò autem responderi etiam posse, licet ad alia oppositionis genera quoque extendatur. Nam æquali opponitur adæquatè & primò non nisi inæqualè; at majus & minus inadæquatè, (neutrum enim tollit totam rationem æqualis) & quantum utrumque est inæquale. Quâ responsio ex iis, quæ S. V. & in præcéd. Regulâ diximus, manifesta est.

XI. Ad IV. secundum nonnullos potest responderi: in filio esse aliam specie relationem, quâ ad matrem, aliam, quâ ad patrem referatur: quia statuunt, etiam relationes patris & matris specie differre, eò, quod ille activè, hæc passivè tantum ad generationem concurrat. Ita sentit Ferrara II. contra gentes c. XI. §. ex istis. Juxta quam sententiam licet filius opponatur duobus, scilicet patri & matri, tamen id, quod ipsi oppo-

nitur, quamvis ratione subjecti seu materialiter sit unum, formaliter tamen non est unum: quia alia est formaliter relatio, quâ ad Patrem, & alia quâ ad matrem filius refertur. At hic, non identitas vel diversitas subjecti, sed ejus, quod formale est, attenditur.

XII. Alii, qui cum Galenô credunt, etiam matrem activè ad generationem concurrere, statunt, relationem paternitatis & maternitatis non differre specie, indeque etiam in filiô non esse relationes specie diversas, quarum unâ ad patrem, alterâ ad matrem referatur. Quæ sententia videtur placere Soario *Disput. Met. XLII. s. XVII. n. 26. & seqq.* Quod si verum est, filius refertur ad patrem & ad matrem, non tanquàm ad duo diversa & specie differentia opposita, sed tantum tanquàm ad duo numero & accidentaliter differentis, unum autem specie. At quod dicitur *unum unum tantum opponi*, intelligendum est de uno specie, non numero.

REGULA IX.

Contradictoria nec simul vera, nec simul falsa esse possunt.

Vel:

Alterum contradictoriorum affirmatur vel negatur de quolibet.

I. Prima sunt ista principia, & mentibus hominum naturaliter insita. Debent autem in iis observari quatuor illæ conditiones, quas Aristote-

les Elench, c. V. ad vera contradictoria requiritur; nempe ut dicantur *ἑκατέρωθεν* eodem modo, κατὰ τὸ αὐτὸ, secundum idem, *ἑκατέρωθεν* τὸ αὐτὸ, ad idem, & ἐν αὐτῷ χρόνῳ, eodem tempore. Prima conditio, *ἑκατέρωθεν*, requirit, ut utrumque, tam subiectum, quam prædicatum utriusque propositionis contradictoria eodem modo accipiatur, eandemque habeat significationem; quorum alterum si æquivocè sumatur, contradictio non est. Ut si dicas: *Diaboli credunt, Diaboli non credunt*, cum in priori propositione τὸ *credere* de historica, in posteriori de salvifica fide accipiatur. Altera conditio κατὰ τὸ αὐτὸ, exigit, ut prædicatum in utraque propositione cum subiecto secundum eandem partem & naturam construatur. Hinc contradictio non est: *Christus fuit prior Abrahamo; Christus non fuit prior Abrahamo*, quia illud de Christo secundum divinam, hoc secundum humanam naturam intelligitur. Tertia conditio, *ἑκατέρωθεν*, vult ut non habeatur respectus ad diversa extra subiectum. Sic non pugnant ista: *Sex sunt, duplum; Sex non sunt duplum*, quia duplum sunt respectu ternarii, non sunt respectu quinari. Quarta denique quid velit, manifestum est, scilicet attendi debet idem tempus. Hinc non sunt contradictoria: *Imperium Romanum fuit florentissimum; Imperium Romanum non fuit florentissimum*, si illud tempore Trajani, hoc de posterioribus temporibus intelligatur. Sed hæc vulgatiore sunt,

II. Unum hic notare summè est operæ pretium, nempe, *neccesse est non esse, alterum contradietoriorum affirmari, alterum negari in eodem, sed fieri posse, ut neutrum affirmetur verè (nam de veris propositionibus hïc sermo est) de eodem, quando cum particulis quatenus, secundum quod (& tunc propositiones dicuntur reduplicativa, de quibus vide Fonseca Lib. III. Inst. c. XXVII. & alios) per se, & similibus fiant propositiones. Ut si dicas: Homo per se aut quatenus homo, est albus; Homo per se aut quatenus homo, non est albus, utrumque falsum est. Probo: Quia, quicquid affirmatur de aliquò per se, aut quatenus ipsum, id affirmatur de omni quod constat ex c. IV L. I. Post, ut: Homo per se est animal, & quatenus homo est λογικός, γελαστικός, certè omnis homo est animal, est λογικός, γελαστικός, & sic in aliis. At album non affirmatur de omni homine, h. e. hæc propositio: Omnis homo est albus, est falsa, quia instantiam exhibet Æthiops, qui homo est, nec tamen albus: Similiter non album non affirmatur de omni homine; h. e. ista propositio: Omnis homo est non albus, est falsa, quia nos, qui homines sumus, non sumus non albi. E. neq; album, neq; non album affirmatur de homine per se, & quatenus est homo, seu, quod eodem recidit, utraque propositio: Homo per se vel quatenus homo, est albus. Homo per se vel quatenus homo, est non albus, est falsa.*

III. Cæterum magna est differentia inter has propositiones: *Homo quatenus homo, est albus*; *Homo quatenus homo, non est albus*; & inter has: *Homo quatenus homo est albus, Homo quatenus homo est non albus*. Nam priores duæ sunt contradictoriæ, sed posteriores non sunt contradictoriæ; quod inde patet: I. Quia in posterioribus non est idem prædicatum: nam unius *albus* est prædicatum, alterius *non albus*. II. Quod utraque est affirmativa: id quod facile intelligit, cui discrimen inter propositionem finitam & infinitam est notum. Sunt igitur posteriores duæ propositiones affirmativæ prædicatorum contradictorium de eodem subjecto.

IV. Sicut autem quantum ad formam enunciandi est differentia inter illas propositiones: Ita non minus est discrimen quantum ad veritatem & falsitatem. Nam posteriorum utraque est falsa, & possumus indefinitè ita dicere, quod quando duo prædicata contradictoria affirmantur de eodem subjecto cum tæper se, aut quatenus ipsū, aut similibus particulis, fieri possit, ut utraque propositio sit falsa, quemadmodum §. II. demonstravimus. Sed priorum duarum non est utraq; falsa, sed prior est falsa, posterior vera, sicut dicto §. II. ostendimus. Ita verum est, si dicam: *Homo quatenus homo non est albus*, falsum a. si dicam: *Homo quatenus homo est non albus*. Sed quæ est causa huius discriminis? Id jam dixi §. II. quia quic-

H h h 5 quid

quid affirmatur de aliquo per se, aut quatenus ipsum, id de omni affirmari necesse est. Sed non quicquid negatur de aliquo per se, aut quatenus ipsum, id continuò de omni negari necesse est. Pertinet igitur exceptio *g. II.* allata, non ad propositiones formaliter contradictorias, sed ad illas, quæ sunt de prædicatis contradictoriis.

V. Sed objicit: A propositione negativâ de prædicatò finitò, ad affirmativam de prædicatò infinitò valet consequentia. E. hæc: *Homo quatenus homo non est albus*, est vera, & illa: *Homo quatenus homo est non albus*, etiam est vera. Resp. Hæc ipsa, quæ hactenus disputavimus, probant excipiendas esse ab illâ Regulâ propositiones reduplicativas; eademque ratio est earum, quæ fiunt cum terminò *per se*, & similibus, quod & jam dudum docuerunt alii, inter quos est Cajetanus *de ente & essentiâ c. IV. s. VI.*

REGULA IX.

Oppositorum eadem est scientia.

I. Sapienter utitur hoc pronuntiatio Aristoteles, vel exempli gratiâ, vel aliâ de causâ, ut *I. Prior. c. I. I. Top. II. IV. Metaph. II. r. 4. IX. Met. c. II.* & aliis in locis. Interdum autem dicitur τὸν ἐναντίον, *contrariorum eandem esse scientiam*, interdum utitur voce τὸν ἀντιθέτων, & *oppositorum eandem esse scientiam*, asserit.

II. Monlorius *I. Prior. cap. I.* eruditè, ut solet, pronuntiatur hoc triplicem apud Aristotelem habere

habere sensum scribit, quorum primus est: *Opposita sub eandem scientiam & artem cadere, atq; in eadem arte tractari, ut salubre & insalubre in Medicinâ, motum & quietem in Physicâ* Et hoc modo sumitur *IV. Met. c. II.* ubi cum Aristoteles docuisset, primam Philosophiam agere de uno & partibus seu speciebus unius, ut de eodem, simili, æquali &c. ostendit, ejusdem etiam esse tractare de multitudine & quasi speciebus multitudinis, ut de dissimilitudine, inæqualitate, &c. propterea quod hæc unitati & ejus quasi speciebus sunt opposita, unius autem scientiæ est, opposita contemplari.

III. Secundus sensus est, *oppositorum seu contrariorum eandem esse cognitionem & rationem.* h. e. ex ratione & cognitione unius contrarii alterum intelligi, sed ex accidente quodammodo: ut si sanitas est sita in temperie & *συνεργία* quatuor humorum, morbus erit positus in intemperie eorundem humorum. Hæc docet Aristoteles *IX. Met. c. II.* ubi ait: *Contrariorum propterea eandem esse scientiam, quia scientia est ratio, contrariorum autem eadem est ratio, unde fit, ut facultas, que agit cum ratione, habeat vim efficiendi contraria, sicut Medicina morbum & sanitatem efficit.*

IV. Cum autem Aristoteles dicit, *scientiam esse λόγον seu rationem, & rationem esse contrariorum;* plerique, inter quos sunt Scaynus & Fonseca, per *λόγον* seu *rationem* intelligunt *cognitionem rei definitivam,* quæ cum per se & primario sit.

cogni-

cognitio ipsius definiti, ex consequente, & sic quodammodo per accidens manifestat & declarat ejus oppositum; ut patuit §. *præc.* de sanitate & morbo, & perspicitur ulterius exemplo boni & mali. Si enim bonum consistit in perfectione debita inesse, malum carentiam hujusmodi perfectionis importabit. Hi duo sensus, inquit Montorius, veri sunt de omnibus artibus.

V. Est autem inter hosce duos sensus id discriminis, quod prior loquitur de habitu scientiæ, & quidem de scientia totali, ut loquuntur, v.g. de Physicâ, Medicinâ, &c. Posterior autem vult, non tantum unam totalem scientiam, quæ habitus est, sed & unum speciale & determinatum actum alicujus scientiæ, v.g. definitionem sanitatis, esse oppositorum.

VI. Tertius sensus est: *eandem artem tractare & probare contrarias partes questionis, sive utramque partem contradictionis.* Ut si proponatur questio: *An voluptas sit bonum, nec ne?* eadem ars probat, voluptatem esse bonum, & non esse bonum, in quo verum est hoc pronunciatum, in duabus tantum artibus, Dialecticâ & Rhetoricâ, ut docet ipse Aristoteles *1. Rhet.* quoniam hæ solæ questiones disputant in partes contrarias. Sic enim habet Aristoteles: *τῶ μὲν δὲ ἄλλων τεχνῶν ἕδεμια παναντία συλλογίζεται, ἢ ἢ Διλεκτικῆ καὶ ἢ Ῥητορικῆ μόναι τέτο ποιῶσι. οὕτω ὡς γὰ εἰσὶν ἀμφότεραι τῶν ἐναντίων, hoc est, Nulla*

ex ali
alecti
ambæ

VI
Rhet
in pra
plinæ
tur po
cialis
tius a
discip
præc

V
stat,
ut ab
eas c
eand
rum
dent
c. II.

I
fens
tere
fit r
inte

*ex aliis artibus contraria concludit, sole verò Di-
alectica & Rhetorica id præstant, sunt enim pariter
ambæ contrariorum.*

VII. Atque hanc ob causam solæ Logica & Rhetorica dicuntur *διωκτικαί*, ut ait Alexander in *præf. II. X. Libr. Top.* quia scilicet solæ hæc disciplinæ contraria probant; is autem propriè dicitur posse, qui contraria potest. Estque hæc specialis acceptio vocabuli *διωκτικαί*, nam aliàs latius accipitur, ut *I. Eth. & IX. Met.* & alias etiam disciplinas comprehendit. Vide ea quæ *Part. præced. Disp. IX. Reg. III.* diximus.

VIII. Unum adhuc nota, idque ex dictis constat, nempe vocem scientiæ hîc non strictè sumi, ut ab aliis scientiis distinguitur, sed latius, ut eas comprehendit. Quod autem §. III. diximus, eandem esse rationem & cognitionem contrariorum & alterius quidem quodammodò ex accedente, de eo plura vide apud Fonssecam *IX. Met. c. II. in comment.*

REGULA X.

*Inter contradictoria est distantia
infinita.*

I. Communis & constans est Scholasticorum sententia, solius Dei esse creare, neque id competere ulli creaturæ; sed quibus id demonstrari possit rationibus, de eo non conveniunt. Nonnulli inter alia hujusmodi utuntur argumento:

Super

Super distantiam infinitam, non potest nisi virtus infinita.

Sed inter terminos creationis à quò & ad quem, scilicet non ens seu nihil, & ens, est distantia infinita.

E. Super terminos creationis non potest nisi virtus infinita, que solus est Dei.

Major probatur, quia quanto distantia est major, tanto transitus est difficilior, & majorem virtutem requirit in agente. E. distantia infinita requirit virtutem infinitam, Minor probatur 1. quia quacunque distantia finita potest cogitari major. Sed illa distantia quæ est inter ens & non ens, non est major. E. non est finita. 2. Inter omnia contradictoria est æqualis distantia. Sed inter aliqua contradictoria (ut inter Deum & non Deum) est distantia infinita. Ergò inter omnia contradictoria est distantia infinita.

II. Scotus *IV. dist. I. q. I.* & Durandus *II. dist. I. q. II.* hanc rationem nihil concludere demonstrant, propterea, quod minor, nempe *inter ens & non ens, seu inter contradictoria distantiam esse infinitam*, falsa sit. Subscribit Vazquez *Part. I. Tom. II. dist. CLXXV. c. I.*

III. Durandus I. negat ens & non ens esse terminos creationis; de quo, quia non ita ad intellectum nostræ Regulæ pertinere videtur. já non agimus. 2. Negat, inter ens & non ens esse distantiam. *Sicut enim, inquit, differentia & diversitas*

non est nisi entium inter se, ens enim non est diversa, nec differens à non ente, quia idem & diversum sunt differentia entis, sic & distantia non est, nisi entium, nec inter ens & non ens reperitur.

IV. Verùm ego I. rehero id Durando, quod inter ens & non ens, hominem & non hominem, & quamlibet rem & ejus negationem, est oppositio. At oppositio est quaedam diversitas, quam ob causam etiam Philosophus *V. Metaph. c. I de eodem & diverso, quod nonum est*, subjungit illud, quod est de oppositis. Est autem inter ens & non ens, & qualibet contradictoria diversitas. Sicut ergò II. Ens dicitur diversum vel distinctum à non ente, (quam distinctionem solent vocare negativam) ita etiam dici potest, esse inter ens & non ens, sicut & qualibet contradictoria, quandam distantiam, si non ita propriè, quodammodo tamen, & negativam.

V. Quod verò inter contradictoria non sit infinita distantia, ex Scoto latè deducit Johan. de Radâ *Part. II. controuv. II. a. I. ibi: secunda ratio*. Pro quo notandum I. Distantiam esse duplicem: *Positivam & negativam*. Prima est, quæ reperitur inter terminos positivos; secunda, quæ est inter terminos, quorum unus positivus est, alter negativus. II. Distantia iterum est duplex: *Mediata una*, quæ mensuratur per mediū interjacens, sicut inter terram & concavū Lunæ tanta est distantia, quantum est spaciū intermediū. Altera verò est

immo

immediata, illa scilicet, cujus alterum extremum necesse est de quolibet affirmari. ita distantia immediata positiva est inter Deum & creaturam quia quælibet res est Deus vel creatura. Immediata negativa est inter ens & non-ens, hominem & non hominem, & quælibet contradictoria. Distantia immediata mensuratur per alterum extremum. Tanta scilicet est distantia inter extrema positiva immediata, quantum est excessus extremi nobilioris ad minus nobile: ut inter Deum & creaturam est distantia infinita, quia Deus est infinitus, & infinitè excedit quælibet creaturam. Tanta est distantia negativa immediata, quantum est terminus negativus, vel quantum excedit terminus positivus negativum, ita ut si terminus negativus sit finitus, distantia sit finita, si infinitus, infinita. Et probatur, quia ubi non est medium inter extrema, distantia nihil aliud est, quam excessus unius extremi super alterum. Cum autem excessus unius super alterum non possit esse major, quam ipsum est, sequitur, ubi extremum non est infinitum, non posse ipsum aliud excedere nisi excessum suum finitum, & per consequens, ibi non esse nisi finitam distantiam. Et confirmatur: in quantitatibus, in quibus est medium interiacens, quantitas distantiam extremorum mensuratur per quantitatem medii. Et ubi nullum est medium, quantitas distantiam mensuranda erit per quantitatem extremorum.

VI.
& inter
infinit
ria sit
I. Poss
esse me
tia, qu
quod
lit ens
alteru
homo,
distan
Deus.
mum
VI
finita
parte
non d
non
vel, u
potel
positi
fectio
II.
non e
distan
liter
ens f
ens e

VI. Ex quibus jam patet, inter ens & non ens, & inter omnia contradictoria non esse distantiam infinitam. Cum enim distantia inter contradictoria sit immediata, sicut patet per Aristotelem, qui *1. Poster. 2. 13. & alibi dicit, contradictionis nullū esse medium*, non potest esse major inter ea distantia, quàm sit alterum extremum ejus, nempe id, quod est positivum. Cum igitur nulla creatura sit ens infinitum, inter contradictoria, quorum alterum extremum est ens creatum, ut dicendū: *homo, non homo, album, non album*, nunquàm erit distantia infinita. Cum autem dico: *Deus, non Deus*, est distantia infinita, quia hīc alterum extremum est ens infinitum.

VII. Neque quicquam agis, si dicere velis, infinitam esse distantiam in omni contradictione ex parte termini negativi, quia terminus negativus non distat ab aliquo, nisi deficientiō. Ergo cum non sit major ejus defectus, quàm est perfectio, vel, ut ita dicam, positio in termino positivō, non potest quoque major esse ejus distantia à termino positivō, quàm sit ipse terminus positivus seu perfectio ejus.

VIII. Quantum ad hęc contradictoria, *ens, & non ens*, ubi prior est terminus universalissimus, distinguit Scotus, & ex eō Rada, dicendo, *formaliter inter ea non esse infinitam distantiam*, quia ens formaliter non est infinitum, aliàs enim omne ens esset infinitum, *permissivè tamen esse infinitum*.

cum enim ratio entis in Deo, tanquam in ente infinito, reperitur, & sic enti non repugnet infinitas, permissivè ens potest infinite distare à non ente, h. e. non repugnat enti infinite distare à terminò negativò.

IX. Unde patet, falsum esse, quod in probatione minoris propositionis in argumentò *propositò* dicitur, *non posse cogitari majorem distantiam eà, que est inter ens & non ens*, nam major est, quæ est inter Deum & non Deum, Patet, & alterum falsum esse, quod dicitur, *inter contradictoria equalem esse distantiam*: major enim est distantia inter Deum & non Deum, quàm inter hominem & non hominem; major inter hominem & non hominem, quàm inter album & non album. Major est vel minor, prout alter terminus vel perfectior est vel imperfectior.

X. Sed rogabis, quomodo salvari possit *inter contradictoria esse distantiam infinitam*? Respondet Scotus per distinctionem de infinito, quod dicitur sumi posse dupliciter, 1. pro *excedente simpliciter quantumcunque finitum in infinitum*: 2. pro *indeterminato*. Primò modò illa propositio est falsa, sicut ex hæcenus dictis constat, vera autem est de infinito secundo modo. Nulla enim distantia est tam parva, quin sufficiat ad contradictionem, quia si minimum aliquid recedat ab uno contradicentium, statim est sub altero: ut contrariens, non ita multum recedit à temperante, sicut

intem
dictio,

Inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

inter

intemperans, & tamen fundatur inter ea contradictio, continens enim est non temperans.

REGULA XI.

Inter omnia contradictoria equalis est repugnantia.

I. Ita Ochamus l. dist. II. q. II. & alii. Sed videtur, hanc Regulam non posse consistere cum illis, quæ in explicatione Reg. præced. fuerunt præposita. Si enim non est inter omnia contradictoria equalis distantia, B. nec equalis repugnantia. Et arguitur ulterius: In quibus est difficilior transitus ab uno extremo ad alterum, illa magis repugnant. Atqui inter aliqua contradictoria est difficilior transitus quàm inter alia; à non moveri enim ad moveri, à non calido ad calidum est facilis transitus, cum facile ex non moto possit fieri motum. & ex non albo album; at non tam facilis est transitus à non homine ad hominem, cum difficilius sit, ex non homine hominem fieri. Imò inter quædam est transitus impossibilis, ut inter Deum & non Deum; ex non Deo enim non potest fieri Deus.

II. Resp. Aliud est distantia contradictorium, ut & transitus ab uno extremo ad alterum, aliud est repugnantia. Distantia sumitur ab altero extremo, estque major vel minor, prout illud perfectius est vel imperfectius. At repugnantia consistit in hoc, quod non possint verè affirmari simul de eodè. Quia ergo æquè omnibus contradicenti-

bus competit, *de eodem verè prædicari non posse*, sicut non magis potest aliquid moveri & non moveri, esse album & non album, homo & non homo. (*simul scilicet & secundum idem*, observatisq; aliis conditionibus & requisitis) quàm Deus & non Deus, propterea, quod unum æqualiter alterum negat; ut *non homo* æquè negat hominem, *non albus* album, atque *non Deus* Deum; nec unum aliquando magis alterum, aliquando minus negat: inde in omnibus æqualis est repugnantia.

III Quod etiam aliud sit *transitus vel non transitus ab uno contradicentium ad alterum*, aliud repugnantia, inde probo; quod repugnantia omnibus competit contradicentibus, at transitus non omnibus competit, quia à non-Deo ad Deum non datur transitus, nec etiam omnibus competit non transitus, quia in reliquis transitus datur, ut à non homine ad hominem, à non albò ad album. Unde licet facilis sit transitus à non albo ab album, difficilius autem à non homine ad hominem, impossibilis verò à non Deo ad Deum, sit que in illis major & minor distantia; æquè tamen repugnat aliquid esse simul album & non album, hominem & non hominem, Deum & non Deum. Ex quibus manifestum est, ea, quæ §. I. adducta fuere, nihil ob stare.

IV. Eodem recidit, quod Johannes de Radicis dicit, *contradictionem posse comparari vel quoad distantiam & excessum unius extremi super aliud*

vel quoad
verificati
ctionem
equale

V.
qui ad
tent a
vel hor
contra
debere
tradi
minia
quod
rax, q
rit, ne
bimus
ma, &
de ali
osten
Vide
nam

Omn

I.
semp
varia
tum

vel quoad repugnantiam & impossibilitatem ad verificari de eodem; priori modo unam contradictionem esse alteram majorem, posteriori omnes esse aequales. Vide etiam Gabriel. I. dist. II. q. I. dub. 1.

V. Utimur verò hanc propositionem contra eos, qui ad eam devenerunt insaniam, ut non dubitent asserere, contradictoria posse esse simul vera, vel hominem Christianum illud principium, quod contradicentia non possunt esse vera, non posse nec debere agnoscere. Nam aut statuunt, omnia contradictoria simul per se esse vera, aut aliqua. Si omnia, ergò utrumque simul verum esse potest. quod Deus sit justus & non justus, verax & non verax, quod Christus resurrexerit & non resurrexerit, nos cum hinc sumus, non esse hic, dum scribimus, non scribere, &c. quæ omnia absurdissima, & ex parte etiam blasphema sunt, & à verà fide aliena. Si autem aliqua, ergò omnia: quia, ut ostendimus, inter omnia est æqualis repugnantia. Vide plura in Disp. nostrâ de nonnullis circa doctrinam contradictionis.

REGULA XII.

Omnis contrarietas privationem habet alterius contrariorum.

I. Ita Aristoteles X. Met. cap. VII. ubi & ait, semper alterum contrariorum dici secundum privationem. Item, omnem contrarietatem esse habitum & privationem. Quæ quidem non ita accipi-

enda sunt, quasi alterum contrariorum nihil aliud sit, quàm privatio: hic enim sensus falsus esset, cum utrumque contrariorum sit formaliter quid positivum. Potest autem dupliciter intelligi: I. Ita, ut *omne contrarium inferat privationem alterius contrarii*, quemadmodum nigrum infert privationem albedinis, & vitium virtutis.

II. Sed hic objici poterit, quod, cum privatio sit negatio formæ in subjecto capaci habitus, calor in igne sit quidem contrarius frigori, non tamen inferat privationem frigoris, propterea, quod ignis non sit subjectum frigoris capax. Idemque dicendum est de cujuslibet contrarietatis extremo, quod subjecto inest per naturam.

III. Potest responderi I. Calor, licet ut in igne est, non importet privationem frigoris, absolute tamen non potest negari, ipsum privationem frigoris inferre, propterea, quod in aliis subjectis, quæ frigoris capacia sunt, ut in aquâ, inesse potest II. Aristoteles V. *Metaph. c. XXII.* docet, privationem dici tripliciter: 1. *si res non habeat aliquid eorum, que apta sunt, ut habeantur, et si ipsa non sit apta, ut illud habeat*: quomodo planta dicitur privata oculis. 2. *Si non habeat, quod vel ipsa, vel genus ejus naturâ habere potest*: qua ratione aliter homo cæcus privatus est adspectu, aliter talpa, hæc quidem ratione generis, (quia enim animal est capax adspectus, & verò talpa est animal, quod est genus ejus, ideo & hujus generis habitâ ratione.

tione talpæ
tur) ille
habeat, co
habere pot
est, jecocus
adspectum
us erat. I
am cit. ca
licet calor
dico ill
tamen pri
IV. V
explicatio
dum Phil
negatione
ullo dubi
ter sit, lo
id esse du
III. dist.
V. II
lis etiam
ut scilicet
modo co
dam im
dici secu
num co
respectu
utroq; e
teriq; N

tionē talpa capax ad spectus, eoque privatus dicitur ille verò per se ipsum. 3. *Si apta sit res, ut habeat, eò autem tempore non habeat, quò naturâ habere potuit.* Cœcitas enim privatio quædam est, cœcus autem non omni ætate dicitur, sed si ad spectum non habeat, in qua ut haberet, idoneus erat. Ita Aristoteles, quam distinctionem etiam cit. cap. VII. X. *Metaph.* inculcat. Jam dico: licet calor in igne non inferat privationem potestatis illo & magis propriè dicto modò, inferat tamen primo & secundò.

IV. Verùm hîc repetendum est id, quod in explanatione *Reg. I.* notavimus, nempe, secundum Philosophum unum contrariorum inferre negationem alterius, & ita quidem reverâ & sine ullo dubio rem se habere, si de eo, quod naturaliter fit, loquamur. De potentiâ tamen absolutâ id esse dubium, ob ea, quæ disputat Paludanus III. *dist. XV. q. II.*

V. II. Potest sententia & propositio Aristotelis etiam intelligi non de privatione simpliciter, ut scilicet formaliter est quædam negatio, (quò modo cœcitas est quædam privatio) sed de quâdam imperfectione, ita ut *alterum contrariorum dicitur secundum privationem nihil aliud sit, quam unum contrariorum semper esse quid imperfectum respectu alterius.* Quod quidem verum est non de utroq; extremo, sed de altero tantùm respectu alteri. Nam sic nigrum quidê habet rationē privatio-

tionis respectu albi, & frigidum respectu calidi, sed non album respectu nigri, nec calidum respectu frigidi. Et ita explicat Soneinas. XII. Met. g. IV. & videtur esse ad mentem Commentatoris, qui cit. L. X. Met. com. 15. dicit, omnia contraria opponuntur secundum privationem & habitum, quia uni contrariorum accidit, ut sit perfectio- nis privatio: Et II. Phys. com. 1. sic ait: Forma dicitur duobus modis: dicitur enim de perfectionis inesse, quibus non adjungitur aliqua privatio, sicut albedo est forma, cum quâ non adjungitur privatio omnino, & dicitur de formis diminutis inesse, cum quibus adjungitur aliqua privatio, sicut nigredo est forma, cui adjungitur privatio albedinis.

REGULA XIII.

A privatione ad habitum non datur regressus.

I. Facit Aristoteles cap. X. Categ. § 20. discrimen inter contraria & privativè opposita, quod nimirum contraria inter se invicem mutari possunt, nisi alterum in sit per naturam, (possibile enim est, candidum fieri nigrum, & vicissim nigrum candidum; ex probò pravum, & vicissim ex pravò probum) at in privatione & habitu, inquit, impossibile est, fieri ad invicem mutationem, ex habitu enim in privationem mutatio fit, sed à privatione in habitum impossibile est. Hinc extat illud proloquium, quod Peripatetici crebris usurpant

panfermo
datur reg
II. Quo
datur mut
absolute co
privatione
chim ex fer
lis, nascitu
tur mutati
regressus,
constat, n
lis, quod g
quest. XIX
ctur fieri
do habitus
ter, & pos
regredi en
quis fuit.
igit, sed
tione ad h
onem, qu
ipse I. Ph
& termin
formæ pr
III. U
formam
quo, que
malis: al
corrupte

pectu calidi, dum resp. XII. Met. commentato omnia con- em & habi- su perfecti- r: Forma fectionis in- atio, sicut tur priva- turis inesse, sicut ni- o albedinis.

datur

20. discrimi- ta, quod utari pos- osibile es- sim nigrū m ex pra- inquit, em, ex ha- d à priva- c exta- bris usur- pant

pant sermonibus: A privatione ad habitum non datur regressus.

II. Quod si hoc, à privatione ad habitum non datur mutatio, quibus verbis Aristoteles utitur, absolutè consideretur, latius patet quàm illud: A privatione ad habitum non datur regressus. Nam cum ex semine, in quò est privatio formæ animalis, nascitur animal, à privatione ad habitum datur mutatio, quæ mutatio tamen non potest dici regressus, imprimis si materia illa, ex quâ semen constat, nunquàm antea fuerit sub formâ animalis, quod generatur. Unde Soncinas X. Metaph. quest. XIX. propriè loquendò, ait, de regressu, sic dicitur fieri regressus à privatione ad habitum, quare ad habitum primò fuit in subjecto. & postea abjicitur, & postea iterum advenit in idem subjectum: regredi enim est venire ad locum, in quo prius ali- quis fuit. Non tamen ita latè Aristoteles id intel- ligit, sed videtur nihil aliud velle, quàm à priva- tione ad habitum, qui præcessit, non fieri mutati- onem, quod idè est, ac non fieri regressum. Nam ipse I. Phys. privationem esse statuit principium, & terminum à quò generationis, & ex materiâ formæ privationem habente rem generari.

III. Unde cum duplex sit privatio, una, que formam præcedit, & est terminus generationis à quo, quomodo in semine est privatio formæ animalis: altera, que formam sequitur, & est terminus corruptionis ad quem, de posteriori privatione ac-

cupiendum est, cum dicitur, à privatione in habitum non esse mutationem, non de priori. Quatenus enim ex semine, in quò est privatio præcedens formam animalis, animal fieri potest, rectè dicitur, ex non animali fieri animal. Sed ex mortuò animali, quâ locutione significatur privatio sequens formam, non potest fieri animal naturaliter. Quam doctrinâ, ejusq; usum leges apud Cornelium Martini de *Analysi Logicâ Lib. II. Cap. X.*

IV. Sed omninò videtur à privatione sequente formam ad habitum mutatione atq; ita regressum dari. Nam à somnò datur regressus ad vigilias, à tenebris ad lucem, & ex aëre fit aqua.

V. Pro explicatione Regulæ Toletus in cit. cap. X. *Categ.* nonnullas proponit distinctiones, I. Duplex potest considerari regressus, alter ad idem numerò, ut idem numerò prorsus redeat, quod antea fuit. Alter ad idem specie, ut quando aliquis aeger sanatur, restituitur ei eadem sanitas, non quidem numerò, sed specie. II. Regressus iste ad idem specie est duplex, *Mediatus & immediatus.* Immediatus est, cum absque interveniente aliâ aliquâ mutatione illud, quod aut corruptum aut omissum est, redit: ut si aër versus fuerit in aquam, & ex aquâ rursus absque ulla alia mutatione fiat aër. Mediatus est, quando non una mutatione, sed pluribus intervenientibus, illud regeneratur aut restituitur. III. Privatio est duplex: Quædam tollit solum actum, ut somnus, qui

qui aufert solum
tenebræ, quod
potentiam
videndi privatio
etiam huic

VI. Hic
nullas con
ad idem nu
licet est imp
giscitur, &
flus ille vi
quò videb
raliter: n
numero re
os resuscit
erimus id

VII. II
tus) ad i
tantum, e
Eres est
tenebris.

IX: I
privatio
est imposs
sit potent
perabit,
quod vo
sui imme
fieri, ut p

qui

qui aufert solum actum videndi, non potentiam; tenebræ, quæ lumen. Quædã non solum actum, sed potentiam tollit, ut cæcitas, quæ non solum actu videndi privat, sed & potentiã: quam distinctione etiam huic Regulæ adhibet Zimara *propof. CII.*

VI. Hisce præmissis Toletus constituit nonnullas conclusiones, quarum I. est: *Regressus ad idem numero à quacunque privatione naturaliter est impossibilis.* V.g. quando dormiens expergitur, & ex non videndi actu fit videns actu, actus ille videndi non est numerò idem cum illò, quò videbat ante somnum. Dicitur autem *naturaliter*: nam supernaturaliter potest Deus idem numerò restituere, imò restituit, quando mortuos resuscitavit, & nos in resurrectione post mortem erimus idem numerò homines, qui nunc sumus.

VII. II. Conclusio: *Regressus (etiam immediatus) ad idem specie à privatione tollente actum tantum, est possibilis, scilicet etiam per naturam.* Etres est clara, ut probant exempla de somnò & tenebris.

VIII. III. Conclusio: *Regressus immediatus ex privatione tollente potentiam etiam ad idem specie est impossibilis, nimirum per naturam.* Ut qui amisit potentiam videndi, naturaliter eam non recuperabit, & cadaver non fiet homo. Atq; hoc est, quod voluit Aristoteles. Dicitur autem: *regressus immediatus*, quia mediatè potest regressus ille fieri, ut patet in acetò, ex quò, si priùs in aquam abie-

abierit, denuò fit vinum. Ita ex cadavere potest redire animal, quando cadaver putrescit, & id in terram mutatur, ex terrâ illâ generantur gramina, quibus si bos vescatur, generatur ex iis sanguis & semen, ex quibus generatur animal. Testatur hoc Aristoteles *II. X. Met. c. V.* cum dicit: *At plane quaecunque hoc pacto mutua[m] habent mutationem, in materiâ redeant oportet: veluti si ex mortuo animal oriri deberet, primû in materiâ regressio fiat necesse est: deinde hoc pacto animal gignatur, & acetum in aquam mutatur, deinde fit vinum.*

IX. Sed videtur hîc ob stare exemplum §. V. adductum, quod si aër versus fuerit in aquam, aër immediatè ex aquâ redire potest. Respondet Toletus, illam privationem, cum aqua in aërem vertitur, formæ aquæ esse tantum actus, cum etiam materia elementorum sit in potentiâ proximâ ad quamlibet formam elementi.

X. Verùm Connimbricenses in *Comm. c. X. Categ. quest. unica art. V.* hanc explicationem Toleti imperfectionis accusant, propterea, quod à calvitie ad esse comatum non detur regressus, nec ei, qui edentulus est, dentes renascantur, quibus exemplis utitur ipse Philosophus: At comatum & dentatum esse, actus important, quibus privat calvitie, & carentia dentium.

XI. Quare ipsi Connimbricenses aliâ utuntur responsione, quam dicunt esse Lovaniensium, *Lovanienses*, inquirunt cum ex alterâ parte vide-

ant;

ant, à quibusdam privationibus esse regressum ab aliis non esse; ex altera, non posse assignari certum genus earum, à quibus fit aut non fit reditus. cum in utroque ordine sint aliqua, quarum forme sunt per modum actus, alie per modum habitus & potentie, nonnulla ingenta, alie extrinsecus advenientes, ut ex dictis perspicuum est: hanc rationem ex parte cause reddiderunt. Quando posita privatione non tolluntur cause sufficientes ad productionem forme, possibilis est naturaliter regressus ad eandem speciem primam; quando vero quomodocumque tolluntur, non est possibilis. Ostendere autem, quibus cum privationibus causa remaneant aut auferantur: longissimum est, & singularum eget commemoratione. siquidem nullum commune principium hactenus inventum est, quod omnia comprehendat. Hæc Connimbricenses, quos vide.

REGULA XIV.

Ab extremo ad extremum non fit transitus nisi per media.

SIVE:

Transientem ab extremo ad extremum oportet transire per omnia media.

I. Pertinet hæc Regula ad contraria, quia per extrema contraria intelliguntur, ut clarum esse, ex X. Met. cap. X. ex quo Regula ista desumpta est. Quò pertinet, quod Galenus l. de facult. nat.

lib. 1. cap. 1. §. 1. ubi dicitur: non est transitus ab uno extremo ad alterum nisi per media.

vere potest
eire. & id in
ur gram.
is sanguis
Testatur
it: At pla
mutatio
si ex mor
ia regress
gignatur,
vinum,
lum S. V.
quam. ær
pondet.
no ærem
cum et
ia proxi

m. c. X.
ationem
eà, quod
egressus,
tur, qui
t coma
quibus

utuntur
ensium.
te vide
ant;

c. Albedinem & nigredinem, utpote colores extremos, non abire in se mutuò, nisi per medios, docet.

II. Est autem duplex medium: Unum *secundum subjectum*, id scilicet, de quo neutrum oppositorum verè prædicatur: sicut v.g. lapis est medium inter sanum & ægrum, cum nec sanus sit, nec æger, h. e. cùm sit ejusmodi subjectum, de quo nec ægrum nec sanum prædicari potest. Hoc modo etiam aër est medium inter album & nigrum. Alterum *secundum formam*, forma nempe media, inter formas contrarias. Hujusmodi medium Zabarella *Lib. de Mixture* facit duplex, idque ex locis Averrois ab ipso citatis id se facere dicit. Unum est, *per formalem mixturem contrariorum in gradibus remissis*, h. e. ejusmodi medium, quod constat ex extremis remissis formaliter: ut, tepidum aut calidum ut sex, & si albo parum nigri immiscueris. Alterum est *per virtualem continentiam seu participationem extremorum*, h. e. hujusmodi medium, in quo extrema virtualiter tantum insunt: ut viride, rubrum, & alij intermedii colores. Suarez *in Indiët. locup.* addit tertium genus, quod vocat *medium per recessum ab utroq. extremo*, qualis est virtus inter duo extrema media. Vide Ejusd. *Disp. Metaph. XLV. Sect. IV. n. 14.*

III. Jam certum est, non loqui Aristotelem, nec Regulam intelligendam esse de medio secundum subjectum: nam de relativè oppositis dicit

Ari-

Aristoteles
tum est, ea
de lapide, c
h. e. hujus
nec filius p
dicit, me
nis. At me
aër enim,
nigrum, e
bum & ni
qualitatis

IV. in

secundum

mutu

in me

per omnia

media pri

do enim e

mè calidu

frigoris e

introduc

fit frigidu

frigoris e

tur, fit qu

nampe o

verso fri

secundo

pertrans

ios, & ex

Aristoteles, quod medium non habeant, sed certum est, ea habere medium subjecti, sicut patet de lapide, qui medium est inter patrem & filium, h. e. huiusmodi est subjectum de quo nec pater, nec filius prædicari potest. Deinde Aristoteles dicit, medium esse ejusdem generis cum extremis. At medium subjecti non est ejusdem generis: pater enim, qui est medium subjecti inter album & nigrum, est in prædicamento substantiæ; sed album & nigrum formaliter ad prædicamentum qualitatatis pertinent.

IV. intelligenda igitur est Regula de medio secundum formam, & est sensus; *Quando extremum mutatur in extremum, prius fieri mutationem in medium secundum formam.* Et quidem per omnia media oportet fieri transitum, ut sint media primo modo, ut habet Zabarella l. c. quando enim ex summè seu extremè frigidum fit extremè calidum, primò unus gradus, nempe octavus frigoris expellitur, & unus, nempe primus caloris introducitur, & ita ex frigido summè seu ut octo, fit frigidum ut septem; deinde septimus gradus frigoris expellitur, & secundus caloris introducitur, fitque frigidum ut sex, donec tandem summus, nempe octavus gradus caloris introducat, univèrso frigore expulso. At quando est medium secundo modo, non est necesse, omnia media pertransiri, ut notat Averroës II. de animâ com. 105, & ex eo Zabarella. Non enim, ut ex albo nigrum

nigrum fiat, aut vice versâ, necesse est, prius transmutationem fieri in omnes intermedios colores.

V. Ea, quæ medium habent tertio modo, Regula non concernit, siquidem intelligenda est de transmutatione, quæ fit per motum physicum, ac proprium, non de eâ, quæ fit per actus immanentes aut mutationes instantaneas, sicut ex Aristotelis *l. c.* constat,

VI. Quanquam Suarez *loc. in indic. cit.* ostendat, quomodo etiam, cum in moralibus ex uno extremo ad alterum transitur, id per mediû quodam modo fiat. Licet enim non necesse sit à viro transire ad vitium per virtutem; transitur tamen per materialem quandam participationem virtutis; ut cum, qui ex illiberali fit prodigus, incipit expendere, ille enim actus expendendi licet non sit liberalitatis *formaliter*, est tamen *materi- aliter*, quatenus posset studiosè & secundum virtutem fieri. Vide plura apud Suarezium *ibid.*

VII. Transitus hic ab uno extremo & alterum per media conspicitur quoque in mutationibus Rerum publicarum. Respublica Romanorum, expulsis regibus non statim & immediate à statu Monarchio migravit in Democraticum. sed prius majestatem Regum exceperunt bini Consules, atque ita Aristocratica fuit forma, quæ mox evasit mixta ex Aristocratiâ & Democratiâ, cum Valerius Consul populo duo egregia majestatis juramenta

ultimam n
magistrat
tibus pleb
quam cert
experienti
vidi, (qua
in eam sub
V. Pol. c. I.
ex statu p
Videatur
§. III.

M
Ara, x
X. Metap
jus propos
Quadam
maliter: f
maliter in
tantum y
moralibus
tremò, sic
licet non
aliquo m
aliquid d
mi, ut e
aliquo m
verò inc
accedit c

ultimam nempe provocationem & creationem magistratuū, concessit, donec tandem creatis Tribus plebis in Democratia prolaberetur. Quamquam certè hīc transitus non est necessarius, cum experientia testetur, Democratias parere Tyrannidi, (qua sub monarchiam comprehenditur) & in eam subito transire. Et docet ita Aristoteles *Pol. c. II.* quemadmodum & Romana Respubl. ex statu populari immediate monarchica evasit. Videatur Arnisaus *Relect. Polit. Lib. II. c. ap. VI. §. III.*

REGULA XV.

Media constant ex contrariis

Ἄρα, καὶ τὸν ἄριστον εἶναι τὰ μεσῶτα, Aristoteles *X. Metaph. c. X. t. 22.* Et patet jam ferè sensus hujus propositionis per explicationem *Reg. preced.* Quaedam enim constant ex extremis remissis formaliter: sicut in tepido calor & frigus actu & formaliter insunt, sed in gradibus remissis; quaedam tantum virtualiter: ut colores intermedii, & in moralibus medium per recessum ab utroque extremo, sicut loquitur Suarez, qualis est virtus, quæ licet non constet ex extremis propriè, sapit tamen aliquo modo naturam extremorum: habet enim aliquid de opere seu inclinatione utriusque extremi, ut e. c. liberalitas inclinatur ad dandum, in quod aliquo modo convenit cum prodigalitate, simul verò inclinatur aliquando ad retinendum, in quod accedit quodammodo ad illiberalitatem. Vide

Kkk

So-

Soarium in ind. locupl. l. c. Lege etiam §. IIX. L. II. Ech. Aristotelis.

REGULA XVI.

Multa sunt ejusdem generis cum extremis.

I. Πάντα τὰ μετὰ ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστὶ καὶ ὧν ἐστὶ μετὰ, omnia media, & ea quorum sunt media, in eodem sunt genere, ait Aristoteles cit. cap. X. L. X Met. Ratio ejus est, quia inter extrema & media est transmutatio per se, sicut ex albo & puniceum vel fuscum, & ex hoc nigrum, & vice versa. Mutari autem ex genere uno in aliud genus nihil potest, h. e. inter ea, quæ genere differunt, non datur transmutatio, nisi per accidens: ut ex colore non mutatur aliquid in figuram, per accidens tamen fieri potest, ut, cum ex albo sit fuscum aut nigrum, subiectum simul aliam suscipit figuram.

II. Manifestum autem est, non esse propositionem nostram intelligendam de medio *quoad subiectum*: quid enim manifestius est, quam aërem, qui est medium subiecti inter album & nigrum, & lapidem, qui est medium inter sanum & ægnum, non esse in eodem prædicamento cum hisce extremis? Vide §. III Reg. preced. XIV.

III. Sed quaritur, *quomodo hoc in moralibus habeat locum*, cum ibi medium, ut liberalitas, sit sub virtute tanquam sub genere, extrema autem, ut prodigalitas & illiberalitas, sub vitio?

IV.

IV. Resfr
mremis, ve
enita ge
norum ejus
est: tunc
ob genere.

Quæ moa

I. Con
defum tu
qundum Pa

II. Dicit
num oppo
nd; cognof
xponit, &
si posse.

ditur mult
d non vide
tu modis,
his, tot qu
tur alteru
que dicat
& iisdem.

III. Re
institutum
sci possit,
tra alia d

IV. Resp. Medium esse in eodem genere cum
extremis, vel proximo, vel remotiori aliquo. Li-
cet enim genus proximum liberalitatis & extre-
morum ejus non sit idem, remotius tamen genus
est: sunt enim ista omnia sub habitu, tanquam
sub genere.

REGULA XVII.

*Quot modis dicitur unum oppositorum, tot
dicitur & alterum.*

I. Communi usu tritissima est ista propositio,
desumitur ex Aristotele *l. Top. c. XIII.* vel se-
cundum Paciun *XV.*

I. Dicitur Aristoteles h. l. non docet, *tot modis
unum oppositorum dici, quot dicitur alterum, sed
modo cognosci possit, an aliquid multis modis dicatur
exponit, & inter alia docet, id ex oppositis cognos-
ci posse.* Quando enim alicujus oppositum di-
citur multis modis, tunc & ipsum multis modis di-
ci non videtur sequi, si, *cum oppositum dicitur mul-
tis modis, etiam ejus oppositum dicitur multis mo-
dis, tot quoque modis dicitur oppositum, quot dici-
tur alterum oppositum, quia fieri potest ut utrum-
que dicatur quidem multis, non tamen totidem
& iisdem.*

II. Resp. Negari non posse, Philosophi *l. cit.*
institutum esse, proponere doctrinam, quâ cogno-
sci possit, an aliquid multis dicatur modis & in-
tra alia docere, ex opposito id intelligi posse: si

Kkk 2 enim

enim hoc multis modis dicitur, illud etiam multis modis dici. Verum non aliter ostendit, unum oppositorum multipliciter dici, propterea quod alterum multipliciter dicitur, quam quod illud tot & hisce vel hisce modis dicitur, & hoc tot & hisce vel hisce modis dicatur. Clarum id est ex iis, quæ de contradictoriè oppositis §. 7. habet. Ex eo enim, quod *non videre* multis modis, nempe duobus, dicitur cum uno modo idem sit, quod *non habere facultatem videndi*, altero, *facultate videndi non uti*, ostendit, & *non videri* non multis tantum, sed totidem dici modis, ita ut utrique significationi vocis *non videre* opponatur aliqua diversa significatione vocis *videre*. Nam & *non videri* uno modo est *facultatem videndi habere*, altero, *facultate illâ uti*. Idem clarum est ex seqq. quæ de privativè oppositis & conjugatis tradit. Quod facit quod *V. Eth. c. I.* cum dixisset, *plerumque sequi si unum contrariorum pluribus modis dicitur, & alterum pluribus modis dici*, ex eo, quod *injustus* dicitur & ille, *qui legi non obtemperat*, & ille, *qui plus sumit nec servat equalitatem*, infert *justum* non tantum multipliciter, sed & tot modis dici, ita ut sic dicatur tum ille, *qui legi obtemperat*, tum ille, *qui servat equalitatem*. Et certe, si vel maxime unum oppositorum dicatur multipliciter, nescio, quâ ratione inde colligi possit, & alterum multipliciter dici, nisi simul hoc verum sit, *si unum tot modis dicatur, etiam alterum tot*

modis dici
multis modis
multis modis
de correspo
plicitas uni
ad multipli
IV. Ver
num cont
ria bifaria
refectu; vir
secundum
solus & d
dicitur, nem
illa in exce
quæ circa i
tas, non d
V. Resp
bus aut qui
licujus mu
inferiora, d
oppositi ej
sunt. Sic
varia speci
multa aut
equivocis.
non dicant
onem & d
allatam ne
tiosus dici

modis dici. Si enim aliquod oppositum dicitur multis modis, cur oportet ejus oppositum dici multis modis, si non oportet, ut dicatur totidem, & correspondentibus modis? Tunc enim multiplicitas unius oppositorum nihil videtur facere, nisi multipliciter alterius.

IV. Verum non videtur verum esse, tot modis contrariorum dici, quod dicitur alterum: nam bifariam dicitur vitium, nempe in excessu & defectu; virtus tamen dicitur uniformiter, & non secundum excessum & defectum? V. g. habitus virtuosus *ἡ δόσις χρημάτων καὶ λήψις* dupliciter dicitur, nempe prodigalitas & illiberalitas, quarum illa in excessu, hæc in defectu peccat. At virtus quæ circa idem versatur objectum, nempe libertas, non dicitur ita multipliciter.

V. Resp. Regula non intelligenda est de speciebus aut quibuslibet inferioribus: non enim si aliquæ multæ & tot vel tot sunt species, aut aliæ inferiora, de quibus ipsum univoce dicitur, statim oppositi ejus multæ & tot species aut inferiora sunt. Sic etsi animalis irrationalis sint multæ & variae species, animalis tamen rationalis non sunt multæ aut tot species. Loquitur igitur Regula de equivocis, aut iis, quæ multipliciter dicuntur, ut non dicantur univoce & secundum eandem rationem & definitionem. Ex quò patet, objectionem allatam non obstare, quia vitium seu habitus vitiosus dicitur de excessu & defectu, ut de prodiga-

litate & avaritiâ univoce & secundum eandem rationem; suntque istæ species habitus vitiosi.

VI. Verum nec sic Regula perpetua & universalis esse videtur. Sumamus I. contraria; ut, acutum dicitur de voce & angulo, & utrobique quidem in diversâ significatione; sed grave, quod acuto contrarium est, non dicitur totidem modis, nam de angulo non usurpatur, est enim angulorū quidam acutus, quidam obtusus, sed nullus est gravis. II. Jus dicitur dupliciter, [1.] ut idem vel affine est legi, & dividitur in naturale, gentium & civile (2.) Pro liquore eorū quæ coquantur. At injuria, quæ juri opponitur, non dicitur his duobus modis: non enim habet significationem, quæ juri in posteriori significatione opponitur.

VII. Pro ulteriori explanatione Regulae, & adductorum dubiorum solutione, dico I. *Si unum contrariorum dicitur multis modis, & alterum multis modis, & quidem tot modis dici, bifariam intelligi potest; 1. ut eadem vox sit, habens diversas significationes; 2. ut sint etiã diverse voces.* Interdum sub eadem voce quot modis dicitur unum contrariorum, tot dicitur & alterum: sicut utrumque vocabulum, & *frigidum* & *fervidum*, modo qualitate sensibilē activam formaliter importat, modo transfertur ad animam: quomodo *Apos. III. de Angelo Laddicensium* scribitur, quod *nec frigidus sit, nec fervidus*. Interdum diversæ sunt voces; & hoc probat argumentum primum §. VI. propositum, & propterea nobis non obstat. Acutum enim

anim dicitur
gentia vocat
I. & ipsum
gificationem
dam utrum
ar. Contr
angulū obt
Aristotelis
IX. Di
num, &
lus, in que
somnia ea
tant contr
A. vocat,
animi, &
dione con
multiplici
ficatione,
affectu an
edisse, &
autem de
contrariu
tinis & for
Inde ergo
trarium r
versis, que
omnia ea
contrariu
IX. A
mentum

eandem
vitios.
& univers
aria; ut
trobique
rave, quod
ero modis,
n angulorū
lus est gra
n vel affine
m & civile
Ac injuria,
obus mo-
quā juri in-
gula, & ad
Si unum
alterum
bifariam
ns diversat
oces. Inter
r unū con-
utrumque
modo qua-
portat, mo-
poc. III. de
sec. frigidus
& voces; &
I. propoli
Acutum
enim

nam dicitur duobus modis: modò enim est diffe-
rentia *vocis*, modò *anguli*. Contrariumque acu-
ti & ipsum dicitur duobus modis, qui duabus si-
gnificationibus acuti respondent, licet non secun-
dum utrumq; modum eòdem significatur nomi-
ne. Contrarium enim acuto in voce est *grave*, in
angulò *obtusum*. Hæc distinctio & doctrina est
Aristotelis *est. c. XIII. Lib. I. Topic*

IX. Dico II. Quot modis dicitur unum contra-
rium, tot modis dicitur & alterum, si in omni-
bus, in quibus locum habet, contrarium habeat, seu
sanctia ea, de quibus dicitur aut predicatur, ha-
bent contrarium. Ut τὸ Φαλεῖν dicitur & ἁλῆ-
στος, ut loquitur Aristoteles, seu de affectu
animi, & μετὰ τῆν σωματικὴν ἐπέχειν, sive de ac-
tione corporis. Quod autem de hisce dicuntur
multipliciter, & non in eadem, sed diversâ signi-
ficatione, probat Aristoteles inde, quod cum de
affectu animi dicitur, habet contrarium τὸ μισῆν,
odisse, & tunc Φαλεῖν idem est quod *amare*; cum
autem de actione corporis dicitur, non habet
contrarium: tunc enim Φαλεῖν idem est, quod La-
tinis *osculari*, at τὸ σφύλαξ nihil est contrarium.
Inde ergò non tot modis dicitur id, quod est con-
trarium τῷ Φαλεῖν neque eòdem vocabulò, neque di-
versis, quot modis dicitur τὸ Φαλεῖν, quoniam non
omnia ea, de quibus usurpatur & dicitur τὸ Φαλεῖν
contrarium habent.

IX. Arque hinc patet, quid ad alteram argu-
mentam §. V. adductam, dicendum sit. Nempe

ius sumtum pro liquore eorum, quæ eoquantur non videtur habere contrarium, & propterea non necesse est, ut oppositum *iuri*, vel sub unâ nomine, vel sub diversis, tot modis dicatur, quot dicitur *ius*. Quod si iste liquor aliquod contrarium habeat, neque sic argumentum est contra nos, quoniam probat tantum, ejus contrarium sub unâ voce, nempe sub voce *injuria*, non dici totidem modis, quot dicitur *ius*.

X. Sed ulteriùs hic scrupulum injicit Javellus *V. Eth. Tr. Lc. I.* Ait enim, Aristoteleni, *V. Eth. Cap. I.* docere, tripliciter dici *injustitiam*: 1. pro transgressione legis, seu illegalitate. 2. Pro avaritiâ, quæ est cupiditas habendi plus de bonis quàm justum sit. 3. Pro inæqualitate, quæ est voluntas habendi minus de malis, ut de laboribus, inopiâ, quàm justum sit. *Justitiam* autê dici duobus modis: 1. legalitatem, quæ est observantia legis; 2. æqualitatem, quæ dicitur *justus æqualis*, & est ille, qui æqualiter vult participare de bonis & malis, commodis & oneribus. Et si *objicias*, sunt verba Javelli, quot modis dicitur unum oppositorum, tot & reliquum. E. cum *injustitia* & *injustus*, ut præmissum est, dicatur tribus modis, tot modis & *justitia* & *justus*. Ad hoc dicitur, quod illa Regula, quot modis dicitur unum oppositorum, tot dicitur alterum, non tenet, quando unum oppositum continet plura significata alterius oppositi. Sic est in proposito. Nam *justus æqualis* opponitur duobus *inju-*

injustis in a
& dicitur
malis, & di
di *justitia*
injustitia.

XI. Ver
allis Interp
hæc sunt:
ἐπιὸ πλεον
ἐλάττω ἢ ἐ
dicitur *injusti*
plus sumit
re manifest
legi parer
vox ἀνισ
à prioribus
declaratio
πλεονέκτη
Ricobonu
justitia vel
sed & *inju*
plicatione
ni vocis *ju*
Ac plerum
triorum
(alterum
ut *justum*
non tot m
ter id dixi

*injustis inaequalibz, quorum unus vult plus de bonis
& dicitur injustus avarus; & alter vult minus de
malis, & dicitur injustus inaequalis, & ideo duo mo-
di justitiae sufficienter correspondent tribus modis
injustitiae. Hæc Javellus.*

XI. Verùm locus Aristotelis citatus aliter ab
aliis Interpretibus exponitur. Verba Aristotelis
hæc sunt: Δοκεῖ ἡ ὁ, τὸ ἀδίκον ἄδικον εἶναι,
καὶ ὁ πλεονέκτης, καὶ ὁ ἀνιστός, ὡς δὴ λον, ὅτι καὶ
ἄδικον ἔσται ὁ, τὸ νόμιμον, καὶ ὁ ἴσος. Ac vi-
detur injustus esse is, qui legi non paret, & is, qui
plus sumit, & qui non servat equalitatem. Qua-
re manifestum est, etiam justum fore tum eum, qui
legi paret, tum qui servat equalitatem. Hic illa
vox ἀνιστός non constituit tertiam & distinctam
à prioribus significationem vocis *injustus*, sed est
declaratio secundi significati, quod constituit τὸ
πλεονέκτης. Ita sanè Acciajolus & Antonius
Ricobonus in hunc locum. Non solum igitur
justitia vel *justus* sumitur tantum duobus modis,
sed & *injustitia* & *injustus* in isto loco. Quam ex-
plicationem confirmat id, quod huic explicatio-
ni vocis *justitia* præmiserat Aristoteles his verbis:
Ac plerumque sequitur, si altera (alterum con-
trarium) pluribus modis dicitur, ut etiam altera
(alterum contrarium) pluribus modis dicatur,
ut *justum* & *injustum*. Quod si voluisset, justum
non tot modis dici, quot injustum, inconvenien-
ter id dixisset. Item, cum dixisset, *injustum esse*

ἄξιον & πλεονεκτην & ἀνιον, dicit, ex eò manifestum esse, justum & injustum bisariam dici. At si voluisset injustum tribus modis dici, non fuisset ita manifestum, justum tantum duobus modis dici.

XII. Videtur autem Aristoteles, quando in isto Cap. ait: *Si alterum oppositorum pluribus modis dicitur, & alterum pluribus dici*, id ita intellexisse, quod dicatur pluribus modis sub eadem voce, seu ita, *ut sit eadem vox & quia id non est perpetuum*, sicut ex §. VI. constat, ideò addidit vocem *plerumque*.

XIII. Et haftenus de contrariis. Videamus *relativè opposita*. Quot modis pater dicitur, tot etiam filius: uterque enim dicitur vel ratione generationis. vel ratione adoptionis. Ita in *privativè oppositis* tenebræ & lumen primò propriè sumuntur, deinde utraq; vox transfertur ad alia: quomodo in oratione lumen & tenebræ dicuntur.

XIV. Videntur tamen in utroque oppositionis genere ea notanda venire, quæ de contrariis, §. V. & VII. diximus. Nam cæcum dicitur (1.) id quod caret potentiâ videndi, (2.) id, quod occultum est & later: quemadmodum apud Columellam cæci morbi dicuntur, *quorum causas ne Medici quidem perspicere queant*, & Cicero cæcos res vocat *ab aspectûs judiciò remotas*. Tot modis dicitur etiam oppositum cæco, verùm id non signi-

fica

dicatur un
ratione
ri, non vi
XV. I
Nam vox
stotele X
& sic non
(2.) absol
que sunt
primâ sig
quod in p
pra Reg.

XVI.
certissim
ficorum,
at diver
§. VII. u
contrad
respond
cunque
eâdem a
voce op
additio
Ita sicut
tò vider
sumatu
cat tan
nominu
quod e

dicatur unâ voce. Nam quod ipsi in primâ significatione opponitur, dicitur *videns*, quod in alterâ non videns dicitur, sed *apertum & evidens*.

XV. Idem perspicitur in *relative oppositis*. Nam vox *multa* dicitur dupliciter, sicut ex Aristotele *X. Met. c. IX.* constat, (1.) *comparative*, & sic non significat nisi numerum excedentem, (2.) *absolute*, quomodo *multa* dicuntur *quæcumque sunt plura unô*. Quod opponitur *multis* in primâ significatione, venit hõc nomine *paucis*; quod in posteriori, hoc nomine *multis*. Vide supra *Reg. VII. §. IIX.*

XVI. Quantum ad *contradictorie opposita*, certissimum est, quot modis dicitur unum oppositorum, tot dici & alterum, ita ut non interveniat diversitas vocis, nec altera illa exceptio, de qua §. VII. unquam hic occurrat, quoniam de nullò contradictoriorum dici potest, cui non è regione respondeat alterum contradictorium, & in quâcunque significatione aliqua vox sumatur, ei in eadem alter terminus ipsi contradicens sub unâ voce opponitur, cum contradictio fiat tantum additione aut ablatione particulæ negativæ *non*. Ita sicut *to non videre* bifariam sumitur, etiam & *to videre*, de quo §. III. sicut cum *ens* dupliciter sumatur, (1.) in significatione participii, ut significat tantum id, quod actu est. (2.) in significatione nominis, ut significat tum id, quod actu est, tum id, quod esse nõ repugnat, licet actu non sit; tot modis etiam

etiam dicitur *non ens*, nempe (1.) omne id sic appellatur, quod *actus non est*, sive esse possit, sive non, quomodo opponitur enti in priori significatione. (2.) Id tantum, quod *ita non est, ut nec esse possit*, quomodo enti in secundâ significatione, opponitur.

REGULA XIX.

Oppositorum opposita sunt consequentia.

I. Si oppositum est in opposito, etiam propositum erit in proposito, ait Aristoteles *IV. Top. c. IV. §. 5.* sed de eo ex professo tractat *II. Topic. c. IIX.* secundum Pacium, & per omnia oppositorum genera id consideratur. Per consequentia autem intelliguntur *prædicata, quæ de aliquo universaliter possunt affirmari*, propterea, quod hujusmodi prædicata ex aliis per bonam consequentiam inferantur. Dicuntur tamen respectu antecedentium, h. e. eorum, de quibus universim affirmari possunt. Ita consequens est *animal*, antecedens *homo*, quia ex hoc, quod *aliquis homo est*, sequitur, ipsum *esse animal*. Et hoc modo sumit antecedentia & consequentia Philosophus *I. prior. cap. XXIX.*

II. Est a. duplex consequentia inter contraria: altera *ἴπιν τὰ ὄντα* seu *directa*, & altera *ἀνὰ πάλιν* seu *ordine inverso*. Illa consistit in hoc, quod oppositum prædicati seu consequentis inferretur de opposito subjecti seu antecedentis. Sunt igitur

hic

hic inter se opposita duo prædicata, similiter & duo subjecta. Hæc verò id importat, quod oppositum subjecti infertur de opposito prædicati. Et propterea dicitur *consequentia de ordine inverso*, quia nimirum oppositum subjecti fit prædicatum & oppositum prædicati fit subjectum.

III. Considerat autem primò hæc Aristoteles a contradictoriè oppositis, in quibus consequentia ordine inverso locum habet perperuò, sine ulli exceptione; ut, *Quicquid est fortitudo, est virtus*. E. *quicquid non est virtus, non est fortitudo*. *Homo est animal*. E. *quicquid non est homo, non est animal*. Et vicissim: *Quicquid non est animal, non est homo*. E. *quicquid non est homo, non est animal*. Valet & ad destruendum: Uti si quis diceret, *omne honestum esse iucundum*, refelleretur ex eo, quòd *si omne honestum est iucundum quicquid non est iucundum, non sit honestum*, quod falsum. Hæc consequentia pertinet ad secundam figuram syllogismi conditionalis, & videtur quoque nihil aliud esse, quàm conversio, quam *per contrapositionem* vocant. Consequentia directà hic exclusã est: non enim ex contradictorio subjecti sequitur contradictorium prædicati. Nam hoc verum est: *omnis homo est animal*; falsum autem: *quicquid non est homo, non est animal*, Cujus rei ignorantia erravit Melissus, qui ita fuit argumentatus, *Factum habet principium*. E. *non factum non habet principium*. Excipienda autem sunt illæ præ-

præ-

prædicationes, in quibus subjectum & prædicatum sunt convertibilia. In his enim directa consequentia locum habet, quemadmodum sequitur: *Omnia homo est capax discipline. E. quicquid non est homo, non est capax discipline.*

IV. In contrariis potius valet directa consequentia, ut, *Fortitudo est virtus. E. sequenda: Ignavia est vitium. E. est fugienda.* Interdum autem & inverso ordine fit consecutio, ut: *sanitas seu bona corporis habitudinis consequens est sanus est.* Sed *nausea* non est consequens morbus, sed potius morbi consequens est *nausea*; omnis enim æger mali habitus est, non tamen omnis, qui mali habitus est, æger est, cum plerique sani sint mali habitus.

V. In privativè & relativè oppositis tantum esse consequentiam directam, ait Aristoteles. Ita quia visus est *divinus*, cæcitas erit *divinus*, & quia triplum est multiplex, etiam subtripulum erit submultiplex. Et quia visus est sensus, etiam visibile erit sensibile; visus enim visibili, & sensus sensibili relativè opponantur.

VI. Verum enim verò, ut ea, quæ de contradiatoriè oppositis dicta sunt, universam veritatem habent, nec aliter se habere possunt, ita quantum ad reliqua oppositionis genera, plurima & varie sese offerunt instantia. Hæ enim consequentiæ sunt nullæ: I. *Album est coloratum. est visum.*

visibile. E. nigrum non est coloratum, non visibile.
 II. Omnem hominem currere, est falsum. E. nullum
 hominem currere, est verum. Nam & hoc
 posterius falsum est. Sunt autem hæc; omnem,
 & nullum hominem currere, contraria, sicut & ve-
 rum & falsum. III. Album est sanum. E. nigrum
 est egrum. IV. Prodigalitas est vitium. E. illibera-
 litas est virtus. V. Videns est vivens. E. cæcus est
 mortuus, quod exemplum est in privativè oppo-
 sitis. VI. Sensibile est scibile. E. sensus est scientia,
 quæ sunt relativè opposita.

VII. Alexander ad illa verba: *Amplius quæcum-
 que, &c.* propositionem seu Regulam procedere,
 in pluribus, non omnibus, expressè ait, & Zaba-
 rilla de accret. c. V. probabilitatem, non necessi-
 tatem habere scribit. Ex quò ipsò jam illi, qui sic
 colligunt: *Mala opera damnant. E. bona salvant,*
 argumenti hujus debilitatè perspicere debuerant.

IIIX. Nonnulli ad veritatem hujus Regulæ, &
 bonitatem consequentiãrum inde formatarum,
 dicunt requisi, ut prædicatum cum subjecto re-
 ciprocetur quâ explicacione jam responsum fue-
 rit ad omnia argumenta §. VI. proposita, in nul-
 ló enim prædicatum prioris propositionis reci-
 procatur seu convertitur cum subjecto, quemad-
 modum manifestum est. Alexander dicit, argu-
 mentationes juxta hanc Regulam non esse sanas.
 quando prædicatum sequitur ad utrumque con-
 trariorum, quæ loco subjecti ponuntur, quemad-
 modum

modum coloratum & visibile utriusque, tum nigri, tum albi, consequens est; sicut & vitium non prodigalitatem tantum, sed & illiberalitatem consequitur, & falsum non tantum est consequens illius: *Omne hominem currere, sed & hujus; nullum hominem currere*; & vivens etiam tam videntem quam cœcum sub se complectitur.

IX. Sed liceat per exempla sigillatim ire. Ad I. dicimus. Aristotelem non loqui nisi de oppositis ejusdem generis, h. e. eo oppositionis genere, quo subjecta opponuntur, debent etiam opponi prædicata. Id non fit in illis primis exemplis. Nam subjecta sunt contraria, nempe *album & nigrum*, sed prædicata, nempe *coloratum & visibile*, non sunt contraria, sed *colorato* opponitur ibi negatio *non esse coloratum*, & *visibili* *invisibile*, quod & ipsum non est contrarium visibili, sed vel privationem vel negationem ejus significat.

X. Ad II. Resp. Agimus hic de oppositis incomplexis, seu ut in terminis attenduntur, quomodo de iis Aristoteles in *Lib. Categ.* agit, & in relativè, privativè, contrariè, & contradictoriè opposita distribuit. At hoc modo *omne hominem currere, & nullum hominem currere*, non sunt contraria, nec ad aliud ullum oppositionis genus pertinent. Fit enim in hiis duobus: *Omne hominem currere, & Nullum hominem currere*, oppositio tantum per signa *omne & nullum*. At opposita, de quibus nos agimus, non confi-

tu-

tuuntur
nus per
tionibus
pretatio

XI.

id quod f
quod tan
tingente
bonam c
ci potest
iam: *Est*

XII.

prædicat
rum, qua
enim præ
jecti, etia
tia fallit
feruorem
vorem, n
apud Sch

XIII.

qua opp
modo se

XIV.

ativè op
jectum a
siri. Cùm
certa sub
gumenta

tuntur per signa. Unde præsens exemplum potius pertinet ad oppositionem, quæ est in enunciationibus, de quibus Philosophus in Lib. de interpretatione.

XI. In III. nego, *sanum esse consequens albi*, id quod facile cuique constat ex §. II. Id enim, quod tantum particulariter prædicatur, & contingenter ipsi convenit, non inferitur ex illò per bonam consequentiam: quemadmodum non dici potest: *Omne album esse sanum*; nec sequitur etiam: *Est albus. E. est sanus*.

XII. At Regula nostra loquitur de hujusmodi prædicatis, quæ sunt *consequentia respectu subjectorum*, quæ admonitio probe observanda est. Nisi enim prædicatum sit necessarium consequens subjecti, etiam universa contradicentium consequentia fallit: ut, *dies caniculares maximum obtinent fervorem. E. qui dies non maximum obtinent fervorem, non sunt caniculares*. Vide multa exempla apud Schegkium.

XIII. Ad IV. ajunt, non valere in contrariis, quæ opponuntur per excessum & defectum, quomodo se habent prodigalitas & illiberalitas.

XIV. Ad V. dico, fallere consequentiam in privativè oppositis, quando altera negatio tollit subiectum alterius privationis, & habitus ipse oppositi. Cum enim habitus & privatio alligata sint ad certa subiecta, extra quæ non reperiuntur, si in argumentatione, in quâ ex eò, quod prædicatum as-

firmatur de subiecto, inferitur, terminum privativum prædicato oppositum esse affirmandum de termino privativo opposito ipsi subiecto, alter terminus privativus destruat subiectum alterius privationis & habitus ipsi oppositi, consequentia nulla est. Ita enim contingit in præfenti exemplo, cum subiectum cæcitatibus & visus non sit nisi animal, quod destruit mors.

XV. Ad VI. responsio est in Aristotele, nempe, *sensibile non esse scibile, scilicet per se.* Est enim illa prædicatio: *Sensibile est scibile, per accidens.* Sed ad veritatem Regulæ requiritur, ut prædicatum de subiecto per se prædicetur. Confirmatur illa responsio ad præfens exemplum, quod in eo argumentatio procedat ex *Disp. X. hujus Partis Reg. X.* quæ est: *Si concretum prædicatur de concreto, abstractum etiam prædicatur de abstracto:* habent enim se ex unâ parte sensus & scibile, ex alterâ scientia & scibile, ut abstractum & concretum. Ac in explicatione citatæ Regulæ dictum est, eam fallere in prædicationibus accidentalibus.

XVI. Cæterùm disputatio est, *quomodo in animalibus ex materia extrinsecus assumptâ fiat accretio.* Verò magis est consentanea sententia, fieri *per extensionem.* Sed obijciunt: *Si accretio sit per extensionem, diminutio fiet per contractionem.* Posterius falsum est. *E. & prius,* Posterius probatur, quia ut accretio & diminutio, ita extensio & contractio sunt contraria. At contrariorum contraria sunt consequentia. XVII.

XVII. Re-
sequentia
sequentia
tere: at qu
nim & di
consequen
tate ad a
to est mo
libra dicit
re alia co
fat per e
tem, qui
materiâ,
de re vid
ita limita
quentia,
aliis con
juncta obt
XIX.
loqui de
tè oppo
esse tant
pat, serv
detractio
quâte ex
cum serv
one ei fa
do spon
locum o

XVII. Resp. Cum unius rei plura esse possunt consequentia, accidere posse ut aliqua contraria consequentia alia tollant, neque possint simul consistere: atque id contingit in presenti. Accretio enim & diminutio habent contraria prædicata seu consequentia quoniam illa est motus à minori quantitate ad majorem ex suggestione materiæ; hæc vero est motus à majori quantitate ad minorem ex subtractione materiæ. Cum hoc non possunt stare alia contraria prædicata, quod scilicet accretio fit per extensionem, diminutio per contractionem, quia contractio non fit nisi servatâ eadem materiâ, at diminutio fit subtractâ materiâ. Quâ de re videtur Zabarella l. c. Hinc potest Regula ita limitari: *Contrariorum sunt contraria consequentia, nisi illa contraria, consequentia pugnet cum aliis contrariis consequentibus, qua contraria subtracta obtinent.*

XIX. Sed potest & ita responderi: Regulam loqui de contrariis, quorum unum alteri adæquate opponitur. At si verum est, contractionem esse tantum, quando aliquid minore locum occupat, servatâ planè eadem materiâ, & nullâ ejusdem deductione factâ, tunc ipsa non opponitur adæquate extensioni: quia extensio non tantum est, cum servatâ planè eadem materiâ, & nullâ accessione ei factâ majorem locum res occupat, (quomodo spongia extenditur) sed etiam, cum majorem locum occupat accessione novæ materiæ; quo-

LII 2 mo:

modo ignis & corpus animalis extenduntur. Hic certe perspicitur, contractionem in posteriori casu non opponi extensioni.

XIX. Ad illud §. VII. de malis & bonis operibus respondet Philippus Melanchton *Lib. IV. Di. ul. de contrario sensu. Contraria; ad quæ consequantur alia contraria, debere esse paria.* Nam ad calorem intensum & frigus remissum non sunt contraria consequentia. Et per hoc non sequitur: *Malæ opera damnant. E. bona justificant.* Non enim sunt paria bona & mala opera, cum hæc sint perfecte mala, illa autem imperfecte bona.

Regularum Philosophicarum

DISPUTATIO XX.

continens

REGULA II.

pertinentes ad doctrinam.

VERI ET FALSI.

Proposuimus hætenus Titulos qui concernunt unum & multa, atque ea, quæ conveniunt rebus ratione unitatis & multitudinis, sicut ex suprâ dictis constat. Quia ergo alia duo entis attributa, nempe *verum*, cui *falsum*, & bonum, cui *malum* opponitur, in primâ Philosophiâ post doctrinam unius considerari solent, id eò & nos, quæ de iis notandæ sunt Regulæ, proponemus.

RE-

Ab eò, q
ve

I. N
les simpl
jecto exi
enim ab
positio(
est sive n

II. P
impræse
identita
significa
non esse
statem.
lem: ita
falsum i
rum dic
mar, &
tem, quo
do est au
hoc enim
nos put
pererã,
dicimus
quit, e